MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80467-9

AUTHOR:

KLEIN, ADOLF

TITLE:

DE ADIECTIVI ASSIMULA-
TI APUD CICERONEM

PLACE:

VRATISLAVIAE

DATE:

1879

Master Negative #

92-80467-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Klein, Adolf, 1850-
De adiectivi assimulati apud Ciceronem usu; dissertatio inauguralis philologica quam scripsit... Adolfus Klein... Vratislaviae, typis Henrici Lindner, 1879.
44 p. 24 cm.

Thesis, Breslau, 1879.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 2-28-92 INITIALS M.P.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE ADIECTIVI ASSIMULATI APUD CICERONEM USU.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT
ET
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XVI. M. AUGUSTI A. MDCCCLXXIX HORA XII
IN AULA LEOPOLDINA
PUBLICE DEFENDET

ADOLFUS KLEIN
SILESIUS.

ADVERSARII ERUNT:
OSCARUS WERNER, CAND. PROB.
PAULUS WELZEL, DRD. PHIL.

VRATISLAVIAE
TYPIS HENRICI LINDNER
MDCCCLXXIX.

PATRI CARISSIMO

SACRUM.

Quamquam viri multi eique doctissimi laudabilem operam collocaverunt cum in constructione verborum in universum examinanda, tum in usu adiectivi explicando, tamen omnes et parum disiunxerunt prosae orationis scriptores a poëtis, quorum dicendi genus ab illis longe abhorret, nec satis rationem habuerunt temporis, quo quisque floruerit. Magnum enim discrimen nobis occurrit inter ipsos classicos, qui dicuntur, scriptores, maius scilicet inter eos, qui non eiusdem aetatis sunt. Quare difficile quidem, sed fructus et delectationis plenum esse existimo singulos scriptores conferre et sermonis varietatem certis legibus circumscribere. Quod ut fieri possit, aliquantum attulit Georgius Wichert, qui opusculo suo [1]) viam munivit iis, qui post ipsum in hanc rem erant inquisituri. Attamen cum vir ille d. ex infinita literarum et Graecarum et Romanarum mole exempla asciverit, profecto non omnes, quos citavit, scriptores ipse legit, ita ut suo iure iudex illius libelli doctissimus [2]) commonuerit singulos scriptores de ea re accuratius esse excutiendos.

Quae cum ita sint, mihi proposui missis ceteris scriptoribus indagare, quomodo Cicero adiectivo assimulato usus sit eiusque scripta iterum atque iterum perscrutatus exempla, quae ad hanc quaestionem pertinent, collegi collectaque in ordinem redegi, ita tamen, ut ea, quae saepius inveniuntur, non cumulaverim.

Primum (§ 1) disseram de nomine adiectivo, cui temporis notio inest.

---

[1]) Ueber den Gebrauch des adjectivischen Attributs an Stelle des subjectiven oder objectiven Genetivs im Lateinischen. Berlin 1875.

[2]) Literar. Centralblatt 1875 No. 51.

Deinde (§ 2) verba faciam de iis nominibus adiectivis, quae posita sunt pro casu aliquo substantivi vel absoluto vel apto ex praepositione.

Huc accedent:

1. excursus de singulari quadam constructione (attractione) adiectivorum, quae locum aliquem notant.
2. nonnulla de adiectivis, quae sunt „domesticus“ et „forensis.“

Tum (§ 3) sequentur ea adiectiva, quae vice funguntur substantivi, quod praepositione et participio adhibito cum altero substantivo coniungendum est. Copiosius afferentur exempla adiectivorum substantivo, quod est „nomen“, assimulatorum.

Addentur (§ 4) constructiones, in quibus n. adiect. ex universa aliqua rerum vel personarum notitia genus certum eximit.

Abinde transgrediar (§ 5) ad ea adiectiva, quae genetivo alicuius substantivi accitis vocabulis: qualis est — esse solet cet. explanantur.

Denique (§§ 6—11) adiectivum genetivi loco adhibitum examinare in animo est

I. pro genetivo subiectivo, qui dicitur, usurpatum —
   A. substantivum et adiectivum nullo alio vocabulo inducto ad enuntiatum efficiendum indigent.
   B. Adnectitur:
      1. adiectivum appositionis loco adhibitum, quod medium quendam locum obtinet et
      2. usus substantivi, quod est „nomen“.
   C. Structura verbo inducendo indiget;
      a. ratio possessiva (Possessiv-Verhältniss),
      b. ratio causalis (Causal-Verhältnis) subest.

II. pro genetivo obiectivo. —

Etsi vero me non effugit viros grammaticos fere assuevisse commutationem aliquam litterarum in vocibus componendis assimulationem appellare, tamen eodem nomine ad aliam rem significandam uti non vereor, quandoquidem iam G. W., quem sequor auctorem, eandem, de qua hic agitur, substantivi et adiectivi consociationem „assimulationem“ vocare non dubitavit. — Nomina enim adiectiva assimulatione quadam cum substantivis coniuncta ea intellegi volo, quae non insigne proprium (Merkmal, Eigenschaft) alicuius rei aut personae exprimunt, ut sunt: marmor durum — arbor alta cet., sed quae cum ipso substantivo novam

notionem efficiunt et nostra lingua substantivis compositis redduntur, vel quae aliquid addunt, quod, ut recte intellegatur, adverbialiter, ut ita dicam, participio aliquo (quod subintellegendum est) cum substantivo conectendum est, vel quae genetivi loco posita sunt. At ne obscurus esse videar, exempla praemittam, quibus manifestum fiat, quid sentiam. Persaepe apud Ciceronem structurae occurrunt, quales sunt: impetus nocturnus, nocturnus fur, forensis labor, litterae Britannicae, bona paterna, odium hostile, aliae, quae non eodem modo accipiendae sunt, quo: arbor alta = arbor, quae alta est sed: impetus, qui noctu fit, — homo, qui noctu furatur, — labor, quem forum parat (praebet), — litterae ex Britannia acceptae, — bona, quae pater possedit, — odium, quod hostes concitaverunt. Sed in nostra quoque lingua — facile quispiam dixerit — tales verborum structuras persaepe exstare, ut „nächtlicher Angriff“, „italienische Reise“, „väterliches Erbtheil“, — id quod ego negare nequeo, quin etiam nomina adiectiva haud ita pauca in vernaculo sermone afferi possunt, quae in lingua latina semper pluribus verbis redduntur, id quod in omnia adiectiva composita cadit; eo accedit, quod lingua nostra syllabis quibusdam agglutinatis nova genera adiectivorum effingere potest. Usum vero, quem prioribus significavi, multo rarius apud nostros inveniri, mihi persuasum est, nec absurde dici mihi videtur, nos sermone latino adductos similes structuras conflare; quare non piget conferre, qualis sit usus in utraque lingua. Hoc loco ex innumerabilibus exemplis pauca in medium proferre liceat. Persaepe Cicero adiectivo, quod est „nocturnus“, cum substantivo coniuncto utitur, ut: p. Mil. 3, 9 nocturnus fur, ibid. 19, 49 „nocturnus adventus“ et nos quoque dicimus: „nächtlicher Dieb“, „nächtliche Ankunft“; perraro vero adiectivum, quod est „diurnus“ apud Ciceronem reperitur: p. Mil. 3, 9 fur diurnus, Phil. III 13, 39 tempus diurnum“, in nostra autem lingua adiectivum „täglich“ longe aliam sententiam habet.

Jam vero, si quaerimus, quibus ex causis hic adiectivi usus sit derivandus, mihi quidem, quod ad Ciceronem pertinet, tres videntur afferri posse.

Primum ex adiectivis ita adhibitis ubertas quaedam et grandiloquentia nascitur, quam Cicero imprimis in orationibus adfectat, quare saepissime usurpantur structurae huiusmodi: hodiernus-hesternus dies, diurnum — nocturnum tempus, pro nominibus adverbiis: hodie, heri cet.; tum oratio brevitatem quandam consequitur, quae dictionem non tam obscuram, quam acrem et pressam

reddit. Tertiam causam eam esse existimo, ut dictio quodammodo varietur et ornetur, quae quidem causa apud Ciceronem haud ita magni momenti est, cum in varietate eloquendi vix possis consilium perspicere; aliis enim locis eadem structura identidem legitur nulla varietate adhibita, aliis scriptor consilio quodam distinguere videtur. Sed ad rem ipsam et ad exempla pergamus.

§ 1. Ac primum quidem contemplemur ea adiectiva, quibus temporis notio inest.

a. substantivum, quocum adiectivum coniunctum est, vel ipsum vocabulum „tempus" est, vel tempus aliquod significat, ut vocabula: annus, mensis, dies, hora, spatium cet.

de Or. III 5, 17 tempus meridiannm — pomeridianum — Verr. V 10, 26 tempora hiberna — ibid. 31, 80 t. aestiva — ibid. 81 dies aestivi; — 10, 26 hibernis mensibus — de Div. II 14, 33 t. hiemalia — Phil. III 19, 33 t. diurnum — nocturnum — Fam. VII 1, 1 matutina tempora — Deor. n. 21, 52 vespertina t. — Att. VI 5, 3; p. Flacc. 40, 100 annuum t. — Brut. 10, 39 ad hodiernum diem — p. Cluent. 3, 8 hod. d. — post red. IV, 1, 1 hesternus dies — p. Rosc. Am. 7, 19 horis nocturnis — de Or. III 21, 81 disputatione hesterni et hodierni diei — ibid 6, 22 hesterna dies — codices aliam lectionem non exhibent, si quidem auctorem sequimur Orellium, cuius editione potissimum usus sum. Quare viri quidam docti illam scripturam retinuerunt, quasi ne tenuissima quidem dubitatio inici possit et constructionem verborum singularem, vel potius, quod ad nomen adiectivum attinet, unicam eidem generi adnumeraverunt, cui „dies constituta", quae a Cicerone saepius usurpatur. In contrariam vero partem Bakius peccavit (in editione librorum de Oratore), cum de hoc loco nihil adnotaret neque adderet, qua causa adductus mutationem „hesterno die" receperit, ita ut quilibet imprudens nullam lectionis varietatem subesse opinetur necesse sit. At mihi quidem respicienti, quod Orellius in praefatione dixit: „Librorum de Oratore codices omnes plus minusve referti sunt erroribus adeo, ut de iis ad integritatem restituendis adhuc plane desperandum sit" — scrupulus evelli non potuit et quamvis codices consentire videantur, nihilominus scripturam corruptam esse arbitror, nec dimittenda est spes fieri posse, ut alicui contingat ostendere, quomodo haec falsa scriptura in omnes codices irrepere potuerit.

Sescenta alia exempla a me collecta si praetereo, certe apud omnes veniam impetrabo, praesertim cum hic usus adiectivi assi-

mulati a nostro dicendi genere parum differat, ut tota ratio ex his exemplis satis intellegi possit. —

Jam vero aliquid discriminis intercedit inter sermonen latinum et nostratium, si

b. nomen substantivum statum quendam vel actionem significat.

Leg. agr. II 2, 5 diurna — nocturna quies (Tag und Nachtruhe). de Or. II 10, 40 hesternus sermo — } confer. III 21, 81 disputatio ibid. III 6, 22 sermo antemeridianus — } hesterni diei — ibid. II 30, 121 ambulatio antemeridiana — sessio pomeridiana — Verr. II a I 12, 33 nocturnae bacchationes — Verr. V 54, 142 n. vota — post red. IV 26, 55 n. vigiliae — p. Sest. 36, 77 n. seditio — ibid. 39, 85 caedes n. — Phil. II. 4, 11 hesterna iniuria — p. Mil. 26, 71 h. contio — Phil. II 31, 77 terror nocturnus — ibid. XI 2, 5 nocturnus introitus Zmyrnam — ibid. 3, 7 n. impetus — Att. II 24, 3 n. depretatio — p. Mil. 7, 16 n. vis — ibid. 19, 49 n. adventus — ibid. 19, 52 n. accessus — 12, 33 n. turba — Fam VI 20, 1 navigatio hiemalis. Att. XV, 25 navigatio hiberna — p. Rosc. Com. 3, 8 menstruae rationes — Verr. III 93, 216 menstrui cibarii (monatliches Deputat) — de Inv. I 34, 59 annuae commutationes = die innerhalb eines Jahres eintretenden Veränderungen; sed longe alia est sententia verborum, quae nostro loco sequuntur: „diurnae nocturnaeque vicissitudines [1]) = Tag- und Nachtwechsel; hic enim non sunt intellegendae vicissitudines, quae interdiu et noctu fiunt, sed vicc., quas dies et noctes sese excipientes efficiunt. Hoc unum exemplum adiectivi eiusmodi substantivo, quod est „vicissitudo" assimulati in scriptis Ciceronianis repperi; compluribus aliis locis genetivus substantivi adhibitus est, ut sunt: Deor. nat. II 53, 132 diei noctisque vicissitudo. Lael. 14, 49 vic. studiorum officiorumque — vicc. dierum noctiumque [2]).

Huc accedant duo exempla, quibus aliqua cum superioribus est similitudo:

Att. XIII 23, 1 antemeridianis tuis litteris heri statim rescripsi = litterae, quas ante meridiem accepi.

---

[1]) Confer. § 10.

[2]) Ex locis supra allatis optime cognoscitur vis atque usus particulae: „que", quam hic consulto adhibitum esse iudico, ut notiones quam artissime conectantur.

p. Cael. 15, 36 nocturni metus —; ubi refert, quid vocabulo „metus“ significatum velimus, utrum: „Furcht, Aeusserungen der Furcht“, an „Schreckbilder“; metus, quem n. efficit, qui noctu incedit; — met., quos nox secum adducit.

Constructione autem singulari et imprimis linguae latinae propria c. adiectiva eiusmodi coniunguntur cum nomm. subst. notantibus personam, quae aliquo tempore aliquid agit.

p. Mil. 3, 9 nocturnus — diurnus fur = homo, qui noctu furatur. Verr. IV, 43, 95 nocturni milites, εἰρωνικῶς dictum = milites, qui caligine noctis occulti res gerunt — p. Cael. 10, 20 noct. testes = homines, qui noctu (facinoris nocturni) testes erant. p. Mil. 13, 33 nocturni canes = canes noctu vagantes; qui quidem locus prope accedit ad poeticam licentiam, quam Horatius locis illis tritissimis nobis offert. A. p. 268 vos exemplaria Graeca nocturna versate manu, versate diurna — Epist. I 19, 10 nocturno mero certare.

Sed quia exempla admodum pauca apud Ciceronem reperiuntur eaque in orationibus, tales verborum structuras in oratione pedestri non usitatas fuisse iure contendere possumus. Quattuor illa exempla a me prolata gradatim, ut ita dicam, a soluta oratione ad carmina nos ducunt, cum constructio „fur diurnus“ proxime absit a constructionibus, quales sunt: turba nocturna cet., illa autem „nocturni canes“ more poetarum ficta sit.

Qui usus cum sit in lingua nostra latinaque fere idem, paucis potui defungi; sed in adhibendis adiectivis eis, quae locum aliquem significant, sermo latinus proprio dicendi genere utitur, quod e libris Ciceronianis iam illustrabo.

§ 2. Saepenumero nomen adiectivum pro casu aliquo substantivi vel absoluto vel ex praepositione apto positum est.

Sed priusquam hanc rationem exemplis illustremur, animadvertamus, quid Naegelsbachius doctissimus ille sermonis Ciceroniani existimator dixerit[1]: „Ebenfalls ein Ersatzmittel für deutsche Substantiva, jedoch kein nothwendiges, bieten lat. Adjectiva in dem Falle dar, wenn sie a. für einen lat. Subjects- oder Objects-Genetiv stehen oder b. statt einer Praeposition mit ihrem Casus, und in letzterem Falle das Gebiet bezeichnen, innerhalb dessen sich der Begriff eines anderen Substantivums bewegt und ausbreitet.“ — In quaestionem hoc loco instituendam cadit, quod

[1]) Naegelsbach, lat. Stilistik für Deutsche. III. Aufl. Nürnberg 1858 pag. 62.

littera b. notavit. — Qua ratione quamquam plurima exempla possunt expediri, tamen in ea non acquiescendum esse puto, cum ea tantum adiectiva comprehendat, quae significant, quo loco aliquid sit vel fiat. Structurae autem verborum, quales hae sunt: litterae Britannicae, Pharsalia fuga, iter Hispaniense — Asiaticum, nuntii Brundisini — alia ratione explicandae sunt.

a. quo loco? (ubi?)

Brut. 7, 27 Attica monumenta — p. Sulla 9, 27 domesticae imagines — Verr. II a I 12, 34 legatio Asiatica. — Vat. test. 5, 12 legatus Hispaniensis — Verr. II a I 34 praetura urbana — Siciliensis p. Planc. 8, 19 praefectura Atinas — Cat. III 2, 5 praefectura Reatina — p. Cael. 10, 23 seditiones Neapolitanae — pulsatio N. Fam. VI 8, 2 Asiatica negotiatio. — In Calp. Pis. 36, 87 quaestus domesticus — p. Cluent 36, 101 quaest. forensis. — Fam. XII 1, 1 otium urbanum — de Or. II 6, 23 negotia forensia atque opus urbanum — p. Cael. 1, 1 neg. forensia. — Brut. 24, 91; 67, 236 p. Cael. 3, 6 domesticus labor opp. forensis — p. Sulla 4, 11 forensis labor — de Or. II 66, 271 forenses actiones. — In Calp. Pis. 16, 38; 23, 55 Macedonici imperatores — i. e. imperatores Romani in Macedonia. — Verr. II a I 43, 112 urbanum edictum — ibid. 45, 117; 46, 118 edictum Siciliense — p. Sest. 17, 39 quaestor Ostiensis — de Divin. I 28, 59 somnium Atinas — quo cum exemplo conferas Phil. XIII 9, 19 pestifera illa Tiburi contio; exstat vero adiectivum: „Tiburs“ a substantivo, quod est „Tibur“, derivatum, quare structura „Tiburs contio“ formari potest ad alteram, quae invenitur: de Or. II 55, 224 testificatur pater, se tibi Privernatem fundum reliquisse — p. Mur. 25, 50 contio domestica — p. Cluent. 51, 141 Tiburtem fundum requirebat — p. Cael. 11, 26 coitio silvestris — Att. XIV 14, 2 sessio Capitolina — Att. XI 16, 2 mora Alexandrina — Fam. IV 8, 2 sedes domestica p. Cael. 28, 67 usus provincialis — p. Rosc. Am. 6, 15 domesticus usus et consuetudo. — Verr. IV 27, 62 non modo hospitium, verum etiam dom. usus — p. Cael. 3, 6 — 30, 72; Brut, 24, 91; 67, 236; de Or. II 14, 58 usus forensis — Brut. 1, 5 dom. utilitas — Verr. III 41, 95 dom. incommodum — p. Arch. 12, 31 dom. pericula. — In Caec. 10, 31 dom. periculum = proprium, graece: οἰκεῖος. Leg. agr. I 9, 29 externum periculum — Brut. 74, 258 dom. barbaries — de Or. I 26, 118 turba et barbaries forensis — p. Arch. 6, 12; Or. 9, 32 strepitus for. — de Or. I 34, 157 dom. exercitatio — de Or. II 32, 139 forens. exercit. — Catil. IV 11, 23

hospitia provincialia — post. red. II 5, 13; p. Sull. 11, 32 domestici hostes = Privatfeinde — p. Sest. 17, 39; Vat. test. 10, 25 dom. hostes = patriae proditores — post red. IV 20, 42 domestica germanitatis stupra — p. Sest. 1, 1; 69, 144 latrocinium dom. — post red. I 8, 19 latr. intestinum — p. Val. Fl. 2, 5 dom. vita — p. Rab. perd. 12, 36 dom. mors Att. II 18, 1 consalutatio for. — de Or. III 29, 111 disceptatio for. p. Caec. 2, 6 disceptator dom. — Tusc. V 4, 10 Phliasius sermo — Or. 11, 37 contentio forensis ibid. — 61, 208 for. certamen — Att. I 1, 2 urbani competitores — p. Planc. 29, 70; post red. IV 23, 49 dom. bellum opp. externum — Catil. III 6, 15 bellum civile ac dom. — Fin. I 3, 10 dom. res — Tusc. I 1, 2 res dom. et familiares — p. Cael. 18, 42 res forenses —; maxime notabilis est structura, quae reperitur: Att I 6, 1 domum Rabirianam Neapoli — M. Fonteius emit — quo loco auctorem ea de causa ablativo nominis substantivi usum esse existimo, ne duobus adiectivis „Rabiriana Neapolitana“ compositis oratio languescat.

b. quo ex loco? (unde?)

Att. VIII 13, 1 nuntii Brundisini „von Br. her“ — Phil. V 3, 8 caelestis clamor — Fam. VII 8, 2 Britannicae litterae — Phil. II 15, 39; de Divin. I 32, 68 Pharsalia fuga[1]). Phil. XIV 8, 23 pugna Pharsalia — p. Lig. 3, 9 in acie Pharsalica — p. Deiot. 10, 29 proelium Pharsalicum. —

c. quem in locum? quos per fines? (quo?)

Leg. agr. II 14, 36 via vendibilis Herculanea — Vat. test. 5, 12 iter Hispaniense — confer. Att. VII 12, 2 iter Larinum; (adiectivum „Larinas“ est) — Phil. V 8, 22 iter Brundisium — Att. IV 15, 2 iter Asiaticum — Quint. fr. I 1, 18 itinera Asiat. confer.: prov. cons. 4, 9 iter in provinciam.

1) Scripturam „Pharsalia“, quam Orellius in prima editione in „Pharsalica“ commutaverat, Halmius, cuius ex recensione altera editio or. Phil. profecta est, anteferendam esse existimat, quippe quae in lectione codicis Vaticani nitatur et ad eam scripturam tutandam adnotat haec: „Adiectivum „Pharsalicus“ etiam Phil. XIV § 23 et de Divin. I § 68 codd. optimi habent“; quare lectionem „Pharsalia“ non probare non possumus. Ad mutationem recipiendam Orellium his causis adductum esse arbitror: Adiectivum „Pharsalicus“ conectendum est cum substantivo „Pharsalia“, quae est regio circa urbem Pharsalum, ita ut adiectivo „Pharsalicus“ locus accuratius descriptus sit, sed „pugna“ vel „fuga Pharsalia“ eodem iure, quo „pugna Marathonia“ — „Salaminia“ dici potest.

Ep. ad Br. I 15 cursus Achaicus — p. Planc. 40, 96; Deor. nat. 53, 131; Prov. cons. 12 31 maritimus cursus — Deor. nat. II 21, 54 aetherei cursus — Att. II 9, 1 Hierosolymarius traductor — Fin. V 24, 70 Tiberina descensio.

Exempla supra allata, quae ita collecta sunt, sicut legenti mihi sese obtulerunt, si intuemur, mirari certe par est, quanta sit multitudo eorum, in quibus nomen adiectivum significat, quo loco substantivi notio valeat. Itaque, quod ad Ciceronem pertinet, hoc est statuendum: Assimulato nomine adiectivo scriptor imprimis utitur ad locum designandum eum, quo res aliqua posita est ac quodammodo quiescit. Unde vero aliquid proficiscatur vel ortum sit, aut quo aliquis motus progrediatur, is locus nomine adiectivo non nisi vitata sententiae ambiguitate notatur, ut haec: caelestis clamor, — Tiberina descensio: quare, ut ex magna copia pauca promam, in libris Ciceronianis saepius constructiones huiusmodi invenies: Prov. cons. 4, 9 adventus in Syriam — p. leg. Man. 13 adventus in urbes sociorum — p. Mil. 49 nocturnus in urbem adventus.

Nec non nomen substantivum cum praepositione coniunctum praefertur, si praeter locum etiam aliud quid appositum est, ut in illo exemplo: „pestifera illa Tiburi contio“ —; neque notatione indigna sunt exempla, quae sequuntnr: p. Sull. 25, 70 eius in Hispaniam profectio —; tali enim verborum collocatione illud „in Hispaniam“ adiectivi naturam adipiscitur, pronomen autem personale vice articuli Graeci fungitur[1]).

In Calp. Pis. 3, 7 quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus — Phil. XIII 9, 19 inde ad urbem cursus.

In utroque exemplo duae loci notiones (adverbio vel structuris adverbialiter formatis expressae) substantivo adduntur atque utroque loco illa deprehenditur verborum collocatio, quae quantopere apud Graecos frequentetur, nemo ignorat.

His multi alii eiusdem generis loci ex Ciceronis libris desumpti addi poterant, si cumulatione opus esset; structuris enim supra allatis: Attica monumenta, legatio Asiatica, praetura urbana cet. similis adiectivi usus in nostra lingua saepe respondet, ut: „attische Denkmäler, asiat. Gesandtschaft, städtische Praetur“, id quod tum maxime fieri opinor, si notio substantivi loci definitionem flagitat. In latina autem lingua eiusmodi adiectiva etiam cum

1) Cfr. Naegelsbach l. l. § 75.

substantivis coniunguntur, quae tali notione non indigent. Etenim si scriptor dicturus est, quo quis animo egerit aut quo loco status vel actio quaedam praecipue apparuerit atque eis verbis plus gravitatis tributum vult, adiectiva supra enumeratis similia cum illo additamento coniungit figura quadam usus, quam attractionem nominaverim. Sed audiamus, quid Wichertius ad hunc usum adnotaverit: „Besonders geschieht dieses, (dass locale Bestimmungen, die an und für sich wohl zum Substant. gehören, aber zu diesem — sei's unmittelbar, sei's mittelbar — in adverbialer Form hinzutreten sollten, des Nachdrucks und der Abrundung wegen zu adjectivischer Bekleidung desselben dienen), wenn an Eigenschaften, Handlungen oder Zustände zu denken ist, die an Personen zeitweise an gewissen Orten hervorgetreten sind."

Quae quidem animadversio, quamvis sagacissime sit excogitata, subtilior, quam verior esse mihi videtur. Etenim cum omnia, quae ad hominem pertinent, ex aliquo loco et temporis spatio apta sint, certi fines statui non possunt, quousque illud „zeitweise an gewissen Orten" pateat. At exemplis a Wichertio prolatis nescio an meliora edoceamur; affert enim haec:

p. Deiot. 12, 33 ex urbanis malevolorum sermunculus —[1]). In Vat. test. 5, 13 de Hispaniensibus flagitiis tuis — p. Sest. 5, 13 integritas provincilis i. e. (P. Sestii) in magistratu fungendo provinciali — ibid. 3, 7 de provinciali in eo magistratu abstinentia — Fam. V 19, 1 tuum provinciale officium — (die während der Amtsführung in der Pr. gegen mich bewiesene Dienstfertigkeit. Verr. III 9, 22 eius spiritus Sicilienses i. e. cum praetor in Sicilia esset — p. Flacc. 2, 5 urbanum infamiam (eius) — Prov. cons. 4, 8 de eius urbana audacia — Fam. IX 15, 3 auctorem moderationis urbanae — p. Mur. 16, 34 hanc nostram forensem industriam. —

Hic habes exempla a Wichertio ex Ciceronianis scriptis collecta, quorum postrema iam latius explicari possunt, cum in eis temporis notio omnino non data sit. (Ciceronis industria fere tota in foro versabatur vel apparebat.) Neque quidquam nos impedit, quominus superioribus haec quoque adnumeremus:

---

[1]) Quocum exemplo conferas: Fam. III 8, 1 refrigerato iam levissimo sermone hominum provincialium —; eadem verborum sententia efficeretur structura hoc modo mutata: refrigerato iam provinciali hom. levissimorum sermone.

post red. I 5, 11 egestatem et luxuriem domestico lenocinio sustentavit — p. Cluent. 36, 101 egestas domestica, quaestus forensis — p. Cael. 3, 6 meus hic forensis labor — Fam. II 7, 4 ad hanc provincialem molestiam — Verr. V 36, 94 ut ei Lampsaceni periculi similitudo versaretur ante oculos — ibid. ut illud Uticense exemplum de Adriano transferretur Syracusas — Verr. III 70, 163 haec frumenti emtio Siciliensis — Fam. IX 15, 3 te non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanae fuisse, sed auctorem moderationis urbanae — Fam. XIII 38 magna mihi fuit amicitia iam inde a quaestura mea Siciliensi — Brut. 92, 319 tum in patrocinio Siciliensi maxime in certamen veni designatus aedilis — p. Mur. 9, 19 Servius — hanc urbanam militiam respondendi, scribendi — secutus est.

Admodum mira et perbrevis est structura, quae est loco iam supra prolato: p. Val. Flacc. 2, 5 cum privatarum rerum ruinas, cum domesticas labes, cum urbanam infamiam, cum Hispaniae, Galliae, Ciliciae, Cretae, quibus in provinciis non obscure versatus est, vitia et flagitia protuleris" —; non enim Hispania cet. (i. e. Hispanienses) vitia et flagitia commiserant, sed. Val. Flaccus, cum esset quaestor in Hispania, tribunus militum in Sicilia cet. (illud ad rem nihil attinet, quod scriptor secus sentit, ac loquitur). Genetivus igitur possessivus pro notione loci usurpatus est. Hispania vitia et flagitia Flacci quasi possidet, cum vestigia et notas vitiorum ostendere possit. — Constructio in similitudinem superiorum formata: vitia Hispaniensia, Gallica, Ciliciensia, Cretensia, languidior et durior est.

Priusquam ad alia pergam, aliquid addere libet, quod neminem libros Ciceronis, praecipue orationes intento animo legentem effugere opinor: quantopere abundet usus nominum adjectivorum, quae sunt „domesticus" et „forensis". Cum ea adjectiva natura et principio locum notent, plurima exempla supra in disputationem vocari potuerunt; saepius vero significatio vocabulorum translata est ideoque cogitationi atque arbitrio legentis permittendum, quomodo interpretetur. Quare ea tantum exempla disposui, quorum sententia maxime perspicua est neque ullam dubitationem admittit. Reliqua, quae collegi, hic afferre placet, quoniam haec vocabula, ut supra monui, vel maxime locum designant:

p. Cluent. 36, 101 egestas d. — p. Sest. 45, 97; 23, 51 mala d. — In Pis. 26, 64 celebritas d. ibid. 40, 97 d. iudicium. — In Vat. 13, 31 in luctu d. = Famiilentrauer. — Phil. V 18, 51 d.

dolor. — Verr. III 41, 95 d. incommodum — confer Verr. V 15, 39; 16, 41 Thempsanum incommodum — p. Planc. 12, 29 d. nota — Catil. I 6, 13 nota domesticae turpitudinis — ibid. 14 d. difficultas ac turpitudo. — Phil. XIV 13, 34 d. exempla virtutis — Verr. IV 33, 73 d. praeclarissimae virtutis exempla. — p. Mur. 31, 66 d. te habere dixisti exemplum ad imitandum. Est illud quidem exemplum tibi propositum domi. — Rep. II 15, 29 geminae domesticaeque virtutes — p. Balb. 9, 23 mens d. et civilis. — Verr. IIa I 35, 90 leges d. — Rep. I 22, 36 praecepta d. — post red. III 51, 132; Verr. IV 43, 93 d. religio — p. Rab. perd. 8, 23 d. vulnera — Att. I 1, 1; 18, 1 d. fructus — Fam. V 2, 1 d. insidiae = domesticorum — de Or II 20, 86 d. praeconium — post red. IV 20, 42 domestica germanitatis stupra — de Or II 2, 1 d. testes — Fam. VII 14 homo d. — Verr. IV 20, 44 d. copiae — p. Mur. 41, 90 d. et suus consul (sc. Junonis Sospitae.) — Fam. III 1, 3 est ex meis domesticis atque intimis familiaribus — Or. 42, 143 d. tempus-opp. forense-confer Fam. IX 6, 4 dies Tusculanenses — Brut. 92, 318 Siciliensis annus.

Jam ex his exemplis satis apparet, quam late pateat notio illorum nominum adjectivorum. Qui vero in usum tam varium multiplicemque animum attendit, is plurimos verborum thesauros illa nomina adjectiva non satis definire mecum sentiet; nec tamen mihi in animo est nec possum omnes hic deinceps percensere, sed in proferenda explicatione Forcellinii viri doctissimi me continebo; is enim adjectiva hoc modo explanat: „domesticus = ad domum et familiam pertinens — privatus, familiaris, intimus, ad nostram rem publicam pertinens"; illam notionem „privatus", si recte percipio, intellegi vult = ad se ipsum pertinens, quae sententia optime elucet ex hoc exemplo: Verr. III 67, 156 coniectura d. i. e. Schluss von sich auf andere. — Quod autem explicavit „ad nostram rem publicam pertinens" sententiam non satis manifestam reddit. Bellum enim domesticum bello externo oppositum est, nihilominus hoc quoque bellum ad nostram rem publicam pertinere potest. Quare pro illa explanatione „ad nostram rem publicam pertinens" potius „intestinus" dixerim.

Similis notionis varietas nomini adjectivo „forensis" inest; habes enim:

Or. 19, 62; de Or. III 21, 80 f. nervi „der in gerichtlicher Rede nothwendige Nachdruck" — de Or. I 34, 157 acies. f. — de Or. II 84, 341 utilitas f. — Att. I 1, 1 fructus f. — p. Planc. 12, 29 species f. — Phil. VI 2, 4 f. parricidia — Brut. 8, 32 f. lux (forum praebet lucem) — Att. I 18, 1 splendor f. p. Mur. 10, 22 f. laus — Brut. 78, 272 f. dictio — Or. 3, 13 eloquentia f. — Att. II 22, 3 opera f. — de Or. III 22, 85 f. feriae — Or. 61, 208 f. certamen — ibid. 11, 37 contentio f. — Or. 51, 170 oratio iudicialis et forensis, eine gerichtliche, auf dem Forum gehaltene Rede — Or. 66, 221 in veris causis aut forensibus (Orelli)[1].

Adjectivum „forensis" Forcellini his verbis explicat = „ad forum iudiciale pertinens". At certe quidem, si quis conatur locos omnes a me allatos ad illam explicationem accomodare, is mecum cognoscet, eam modo angustiorem esse modo substantivo apposito falsam notionem adjungere; quaestus enim forenses non fiunt in foro iudiciali, sed auctionario — nec forensem consalutationem finibus fori iudicialis concludere oportet.

His adjectivorum, quae locum notant, usum pro casu aliquo substantivi vel absoluto vel a praepositione suspenso iam satis exhausisse mihi videor et deinceps descendam ad aliam quaestionem, quae cum illa necessitate quadam continetur.

Multi enim occurrunt loci, ad quos interpretandos substantivum pendens ex uno ex his praepositionibus: de, ex, pro, cum, in, propter, inter, apud — adhiberi necesse est. Participium aliquod aut intercedere potest aut enuntiati efficiendi causa utique addendum est. § 3.

Quint. fr. III 9 domesticus timor — cura = timor — cura de domo — de rebus suis — de se ipso.

Verr. III 67, 156 sed errat domestica conjectura = conject. ex domo sua i. e. ex se ipso facta — confer Verr. Ia I 125 ut ex uno de ceteris conjecturam facere possitis — Att. I 19, 4 ratio agraria = in agris adhibita — Inv. I 1, 2 nondum divinae religionis ratio colebatur = religio erga deos — post red. III 18, 47 praeda popularis Verr. V 17, 44 praeda Siciliensis = pr. a populo, e Sicilia capta[2]).

[1]) Auctore Jahnio Piderit lacunam ante vel post vocabulum „forensibus" indicavit, locumque totum hoc modo sanandum esse existimavit: in veris causis ac forensibus disceptationibus „es ist von dem genus iudiciale und der einen Seite des genus deliberativum, der contio auf dem Forum die Rede". Mirum certe est, quod hoc loco „verae causa" particula „aut" causis for. opponuntur, cum verae causae plerumque, aut potius semper forr. esse soleant.

[2]) Haec structura etiam cum eis, quas § 11 attuli, conjungi potest, quod verbum „praedari" apud multos scriptores accusativum regit.

p. l. Manil. 18, 55 locum exuviis nauticis et classium spoliis ornatum — exuviae de (ex) navibus factae —post red. III 38, 102 manubiae Cimbricae — Cimbris creptae — Confer de Or. III, 3, 10 imperatoriae manubiae — Brut. 73, 256 castellani triumphi — vide Wichert § 49 s. f. — Verr. V 26, 67 triumphus navalis = triumphi de castellis, de navibus acti — Prov. cons. 4, 9 victoriae bellicae = bellis reportatae. — p. Deiot. 12, 33 Quae semper in civili victoria sensimus — adjectivum „civilis“ hic habet eandem sententiae extensionem, ut ita dicam, quam in structura: bella civilia — cives utraque in parte — in victoria civium a civibus reportata — p. Corn. Balbo 14, 33 Gaditanum foedus — ibid. 15, 34 f. Gaditanorum.

Quamquam paulo post constructio „f. Gaditanorum (= Gaditani f. fecerunt) subsequitur, tamen usum adjectivi assimulati nostro loco ducendum esse opinor a structura hujusmodi: foedus cum G. factum (ictum). Verbis enim „Gaditanorum f.“ nostro quidem sensu homo Romanus barbaris nimis momenti et gravitatis in foedere faciundo tribuere videtur.

p. leg. Man. 17, 50 cur non hoc quoque bellum regium committimus = bellum cum rege gerendum — ibid. 23, 66 b. Asiaticum regiumque — confer leg. agr. II 33, 90 multa postea bella gesta cum regibus — bella cum sociis — Att. V 14, 1 otium Parthicum = apud Parthos. Phil. VII 3, 8 pax civilis — p. Cael. 13, 32 muliebres inimicitiae — Off. II 23, 80 agrariae contentionens T. Gracchi = de agris — post red. IV 27, 57 caelestis spiritus = e caelo ductus — de Or. I 38, 175 hereditas paterna = a patre accepta — p. Cluent. 30, 82 Cluentiana pecunia — loco posteriore (44, 124) legitur: a Cluentio profecta pecunia (quasi explicationis causa additum.) Att. XIII 44, 3 oratio Ligariana = pro Ligario habita, leg. agr. II 36, 98 Sullani possessores = a Sulla facti — ibid. III 1, 3 Sullani agri — paulo post scriptor ipse explicat: agri ii, qui a Sulla sunt dati. —

Eodem genere assimulationis saepe adjectiva cum nomine substantivo, quod est crimen, coniuncta invenimus, si adjectivum personam vel rem notat, ob quam crimen illatum est. Structuram supra enumeratis similem subesse argumento est locus, qui reperitur: Verr. II 62, 151 libenter hoc iam cr. de statuis relinquam — nomen adjectivum „statuarius“ in posteriore demum latinitate adhibetur.

Verr. IV 20, 43 dilue sane hoc crimen Calidianum = ob Calidium illatum i. e. cr. despoliationis Calidianae — Verr. IIa I 34, 86 magnumhoc Lampsacenum cr. est libidinis atque improbissimae cupiditatis — i. e. Libidinis Lampsacenae — cfr. integritas provincialis. p. Mil. 25, 67 non iam hoc Clodianum cr. timemus — ibid. 27, 72 nec vero me Clod. cr. movet = necis Clodii — Verr. V 50, 131 si quem forte inveneris, qui hoc navale cr. conetur defendere = cr. navium amissarum — p. Font. 9, 19 cr. vinarium = cr. portorii vinarii interversi — p. Scauro 21 unum maximum totius Sardiniae frumentarium cr. — ibid. 22 ad hoc horribile et formidolosum frumentarium cr. accedam — Verr. III 61, 141 cr. Scandilianum — p. Cluent 13, 39 cr. Asuvianum — p. Planc. 19, 47 tribuarium cr. = tribuum corruptarum. Verr. III 66, 154; 69, 163 cr. decumanum i. e. cr. de averso frumento decumano. — Cum illis exemplis conferas p. Cluent. 44, 125 Cluentianae pecuniae cr. — genetivum hic eo tantum consilio positum esse puto, ut sententia melius perspiciatur, quoniam structura verborum superioribus apta: „Cluentianum cr. pecuniarium“ ambiguitas oreretur; eademque causa subest hoc loco: Verr. IIa I 39, 102 cum extraordinariae pecuniae cr. supterfugere velles —[1]). Ubi vero materia (der Inhalt) criminis, ut ita dicam, notatur, genetivus huic elocutioni proprius est: „cr. maleficii, facinoris, avaritiae, impietatis, periurii, delicti, intemperantiae, libidinum, veneficii, proditionis cet.[2]) Idem est genetivus atque in constructionibus eiusmodi: Inv. II 39, 115 pecuniarum praemium.

§ 4. Jam vero, si addimus aliud genus assimulationis, non est verendum, ne quid novi et alieni Ciceronianae dictioni tribuamus, quoniam Cicero ipse nonullis locis indicavit, qua ratione singulae elocutiones intellegendae essent. Exstant enim exempla sat multa, quibus perlustratis facile intellegimus scriptorem notiones quasdam in genera complura divisas in animo habuisse, e quibus certum genus expromitur. Vocabulum quod est genus, his locis gravitatis causa additum est:

Verr. V 24, 61 genus navale sc. quaestus — ibid. III 37, 85 frumentarium genus praedae — legg. III 7, 15 gladiatorium genus

[1]) Longe alia est condicio huius loci: Verr. IIa I 40, 103: ita me de praeturae criminibus auditote — conf. pag. 10 f.

[2]) Merguet, Lexicon zu den Reden des Cicero s. v.

mortis, confer: Fin. II 30, 96 praeclarae mortes sunt imperatoriae. Brut. 69, 242 oppidanum g. dicendi — ibid. 36, 136 populare g. dicendi — ib. 93, 321 vulgare orationis g. 95, 325 g. orationis Asiaticum — p. Flacc. 27, 66 Asiaticum g. testium — antea bis: Asiatici testes — p. Cael. 10, 20 g. nocturnorum testium — Contemptus causa vocabulum „genus" additum esse videtur. — Legg. III 7, 15; Rep. II 23, 43 regale civitatis genus [1]).

Sed hinc descendamus ad exempla enumeranda, in quibus vocabulum „genus" cogitatione supplendum est:

Phil. II 18, 44 meretricius quaestus [2]). — p. Quint. 31, 95 praeconius quaestus — p. Cluent. 26, 72 iudiciarius quaestus — Verr. III 66, 155 si quid redundarit de vestro frumentario quaestu — Nomen adiectivum personam an rem notet, nihil ad rem refert. — Verr. III 37, 85 frumentaria lucra — Inv. I 5, 6 oratoria facultas — de Or. I 16, 69 poetica f.; in nostra lingua optime eadem vocabulorum sententia efficitur adhibitis substantivis compositis, ut sunt: Dichter-, Rednertalent cet.

Acad. II 2, 4 popularis gloria ibid. 1, 2 l. imperatoria — Verr. V 1, 2; 5, 11 imperatoria laus: de Or. I 2, 8 imperatoris l. de Or. I 28, 130 oratoria l. [3]) confer. III 17, 52 l. eloquentiae —

---

[1]) Non idem est sensus vocabuli „genus" in exemplis huiusmodi: Inv. 24, 35 divinum — mortale g. = deorum — mortalium. de Or. III 29. 113 g. humanum.

[2]) Utile erit monere, fieri non posse, ut aliquis exempla innumerabilia certis finibus distinguat, adeo ut quaevis altera explicationis via non modo probabilis non sit, sed ne ferri quidem possit. Immo vero in uno eodemque exemplo saepius pluribus interpretandi rationibus uti possumus; itaque locos multos, quos supra pag. 7 attuli, ut: quaestus forensis — domesticus cet. etiam ad hunc usum illustrandum valere confiteor. Quae cum ita sint, satis fecisse mihi videbor, si id assecutus sum, ut in singulis exemplis explanandi ratio secum non repugnet.

[3]) Non ferendum esse arbitror, quod Bakius in editione librorum „de Oratore" ad hunc locum adnotavit: „Praeterea corrigendum „oratoris laudem", quae opponitur laudi histrionis, qualem Roscius postulabat: „oratoria laus" ne Latinum quidem est: itaque mox recte, § 135, oratoris ars appellatur, non oratoria: ipsum nomen oratoris in hac definitione aut descriptione ponendum erat, et multis locis Adiectivum illud vitiose per librarios illatum est." — Certe mirandum esset, viros doctissimos, qui ante Bakium libros de Oratore recensuerunt, in structura illa non offendisse, si ne latina quidem esset; at res aliter se habet. Jam ex aliis verborum constructionibus, quales sunt:

I 6, 23 summa dicendi l. p. Mur. 10, 22 haec forensis l. et industria latent in tutela ac praesidio bellicae virtutis — Brut. 29, 110 summi oratoris l. — Tusc. I 3, 6 forensis l. — p. Mur. 11, 24 militaris l. — Brut. 69, 239 bellicae laudes — de Or. III 28, 109 oratio civilis — p. Arch. 2, 3 forensis sermo — p. Planc. 19, 47 vulgaris declamatio — Brut. 78, 272 for. dictio — Or. 3, 13 eloquentia forensis — vulgaris — Tusc. III 29, 72 amatorius sermo — Brut. 29, 110 oratorium ingen. — p. Sull. 19, 55 munus servile consulare — aedilicium m. — post red. IV 26, 56 munera gladiatoria — Att. I 1, 2 m. candidatorium — In Pis. 16, 38 imperium praetorium — consulare — p. l. Man. 21, 60 gradus senatorius — p. Cael. 20, 48 meretricii amores — ibid. 18, vita institutumque meretricium — 20, 49 vita meretr.

Tusc. II 1, 2 vita militaris — p. l. Man. 18, 54 disciplina navalis — Deor. nat. II 49, 125 ranae marinae — Rep. II 2, 2 silvestris belua — p. Flacc. 6, 14 ius accusatorium — Or. part. 37, 130 i. naturale — Verr. IIa I 21, 57; leg. agr. II 22, 60 ius imperatorium — Fam. XV 2, 7 ius regium — p. Balb. 19, 45 ius bellicum — p. l. Man. 5, 12 maritimum bellum — civile, servile, navale. — Verr. II 28, 69 difficultas nummaria — Att. X 14, 1 diff. pecuniaria — post red. I 14, 35 provincialia ornamenta commodaque — Att. XV 20 4 dotalia praedia — Fin. II 24, 77 ut vestitum, sic sententiam habeas aliam domesticam, aliam forensem — Top. 11, 50 causae coniecturales — ibid. 17, 56 privata iudicia opp. publica — Verr. III 11, 27 iudicium recuperatorium [1]) ibid. 22, 55 iud. damnatorium — p. Cluent. 6, 15 faces nup-

---

Brut. 29, 110 oratorium ingenium — p. l. Man. 11, 29 virtutes imperatoriae, aliae, concludere licet structuram „oratoria laus" ex analogia formari posse; attamen ad illud refugium non opus est recurrere, cum vocabulum ipsum, quod est laus, (idque cum eadem atque hoc loco notione) cum adiectivis similibus coniunctum sit (cf. locos supra prolatos Verr. V 1, 2 ne obteri laudem imperatoriam criminibus avaritiae velitis — ibid. 5, 11 de hac imperatoria iam tua laude disputo). — Quin etiam de his locis: „Tusc. I 3, 6 for. laus, — p. Mur, 11, 24 militaris l. Brut. 69, 239 bellicae laudes, p. Deiot. 9, 26 hae sunt regiae laudes, illae privatae", quamvis notio vocabuli „laus" aliquantum differat, nobis dubitandum esset, si Bakii mutationem probaremus. Tum vero assentiri possemus structuram „oratoris laus" anteferendam esse, quod opponatur „histrionis l." si quae codicum discrepantia esset; genetivus enim saepius fere adhibetur — cf. de Or. I 2, 8 cet.

[1]) Recte monuit Wichertius § 4 pag. 9 adn.: „Oft entscheidet die Zufügung oder Weglassung eines i in den besseren codd. die Frage über Anwendung oder Nichtanwendung der Assimilation.

tiales; ibid. 9, 28 dona nuptialia — Att. I 6, 15 ludus gladiatorius — Tusc. V 21, 60 aedes regiae — Phil. I 9, 22 mercenariae operae — Or. 3, 11 oratoriae disputationes — de Or. II 66, 270 oratoriae dictiones — p. Flacc. 40, 100 Asiatica iurisdictio — urbana — Phil. II 27, 67 damna aleatoria — p. Planc. 30, 72 gregarii milites — p. Cluent. 45, 126 scriba aedilicius. —

His locis similis usus nominum substantivorum, quae sunt homo et locus, adnectendus est, quibuscum coniunguntur adiectiva, quae personam denotant. Exempla ex Ciceronis libris desumpta habes haec:

Phil. VIII 8, 24 homo aedilicius = aedilicius, ein gewesener Aedil. — de Or. II 89, 364 consularem se esse hominem et censorium — ibid. 90, 367 h. censorius = ein gewes. Censor. — Verr. III 80, 184 h. consularis — p. Font. 19, 43 praetorii h. — Catil. III 9, 2 patricii h. — p. Arch. X 22 Rudinum hominem opp. Heracliensem — Verr. II 34, 83 Thermitanus h. — p. Mur. 35, 74 Romani homines — opp. Cretes — Phil. VII 5, 14 quod dignum est Romano homine — Phil. I 6, 15 consulari loco „als Consular" — ibid. V 17, 48 praetorio loco „als Praetor" — Verr. II 50, 124; p. Cluent. 47, 132 loc. senatorius — Verr. II 71, 174 equester l. — et constructiones ad similitudinem illorum formatas: p. Planc. 41, 100 quaestoria persona — ibid. 6, 14; 24, 59 familia consularis — praetoria — p. Sest. 64, 134 gladiatoria f. — p. Mur. 7, 15 f. plebeiae — cf. Quint. fr. II 6, 5 f. Catoniana.

§ 5. His continuentur nomina adiectiva derivata a substantivis personam significantibus; substantivum notat aliquid huius personae imprimis proprium, quod aliquo tempore in aliam personam cadit; adiectivum in nostra lingua vel substantivo cum articulo indefinito, quem vocamus, vel interpositis vocabulis: qualis — quale est, quales — qualia sunt — eodemque genetivo nominis substantivi redduntur[1]):

Inv. I, 2, 2 victus ferus = v., qualis est ferarum — de Or. II 1, 1 puerilis institutio — Or. 44, 149 labor p. — p. Cael. 10, 46 doctrina p. — post red. II 3, 8 lacrimae p. — de Or. II 45, 188 sine pigmentis fucoque perili — Att. XIV 21, 3 acta enim illa res est animo virili, consilio puerili — Verr. IV 28, 65 animus puerilis ac regius — p. Cluent. 4, 11 animus accusatorius — p. Sest. 38,

[1]) Cf Naegelsbach l. l. § 20, 2.

81 patrius ille animus — p. Rosc. Am. 16, 46 qui animus patrius in liberos est — Att. X 12, 6 animus Caelianus — leg. agr. II 16, 42 neque genere, neque animo regio — post red. IV 3, 4 muliebris ornatus — Att. I 12, 3 m. vestis — In Pis. 38, 93 vestis servilis — Fin. II 21, 69 pictam in tabula Voluptatem pulcherrimo vestitu et ornatu regali; cf. pag. 30 sq. ne posset agnosci, si esset ornatu ornatu regio (sc. Codrus) — p. red. III 40, 105 anilis superstitio — Cat. M. 11, 36 senilis stultitia — Tusc. V 20, 58 sordido ancillarique artificio regiae virgines — p. Quinct. 17, 49 artificium accusatorium — Or. 30, 108 iuvenilis redundantia — Verr. V 8, 19 accusatoria consuetudo — de Or. I 34, 159 senatoria cons. — p. Rab. Post. 12, 29 consuet. regia — p. Arch. 12, 32 indicialis c.[1]), cf. 2, 3 iudiciorum c. — Verr. IV 27, 62 ut mos est regius et maxime in Syria — p. red. IV 25, 54 tum sine dubio habuit regalem potestatem — p. Cluent. 44, 123 ne potestatem regiam permittatis — leg. agr. II 13, 32 potestatem verbo praetoriam, re vero regiam — Phil. I 1, 3 dictatura, quae iam vim regiae potestatis obsederat — legg. III 2, 4 regalis potestas — regia potestas — p. Sest. 65, 137 qui cum regum potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creaverunt[2]) — Tusc. IV 22,

[1]) Astipulor coniecturae Halmii, qua locum corruptum ita sanavit: quae forensi aliena iudicialiquo consuetudine — cf. p. Planc 30, 74.

[2]) Locum Halmio auctore ita traditum habemus: „regum" Paris. Gemblas. — „regiam" Salisb. Or. I — Wesenbergius (observatt. critt. Viburgi 1837 pag. 68) haec adnotavit: reges melius opponuntur magistratibus annuis cfr. Rep. I 34, 48 et a regum et a patrum dominatione solere in libertatem rem publicam vindicari. Deiot. § 40 regium nomen sanctum fuit" — ubi ex. v. c. et 2 Oxx. leg. „regum" cfr. § 14, Or. ex edd. vett. silentio regiam p., quod si Cicero dixisset, dixisset idem „ita annuum instituerunt", ut Rep. II § 50 uti consules potestatem haberent tempore dumtaxat annuam, genere ipso ac iure regiam — cf. I § 45 tyrannica illa vel regia vel etiam persaepe popularis II § 43 perpetua — regia Phil. I § 2 ubi post „dictaturam" rite dicitur „regia potestas" — dictaturam, quae iam vim regiae potestatis obsederat."

Ad illam lectionem „regum" probandam mea quidem sententia sufficit addere duas codices melioris notae et primae familiae scripturam „regum" exhibere, cum lectio „regiam" uno tantum codice tertiae familiae nitatur. Loci praeterea ad collationem allati rem minime probabiliorem reddunt; sed singulos pertractemus.

Rep. I 34, 48 et a „regum" cet. — Hic dominatio patrum non opponitur dominitioni regum, utraque enim paene eadem est; patrum dom. = dom., quae iam vim regiae pot. obsederat. Nostro loco haud magis reges magistratibus annuis opponuntur, sed potestas regum, quae una est et per totam vitam manet duobus magistratibus in singulos annos creatis.

49 haec gladiatoria iracundia — Att. I 16, 11 pastoricia fistula — p. Quinct. 30, 92 rusticana parsimonia — Verr. V. 8, 21 tyrannici interdicti — post red. III 42, 110 privilegia tyrannica — ibid. 30, 67, p. Rab. Post. 3, 6 comitatus regius — In Pis. 10, 22 saltatorium orbem — Phil. VIII 2, 6 hostilia verba, bellica — Att. XIII 6, 3 iudicialis molestia — p. Sest. 26, 59 regale otium — p. Sest. 64, 134 nomina gladiatoria — Fam. IX 16, 4 versus Acciani — Att. II 1, 1 Aristotelia pigmenta — ibid. IX 12, 1 ut iam illum Mucianum exitum exoptem — Fin. IV 15, 40 Aristonea vitia et peccata.

Cum nomen adiectivum hoc genus notionis fere totum sibi vindicaverit, non est, cur denegemus genetivum nominis substantivi locum eius non usurpare nisi adiectivo omnino deficiente, id quod iam Naegelsbach. docuit. Illud vero mihi non est probatum, quod adnotavit genetivo nominis substantivi semper certam aliquam personam vel rem designari. Sed audiamus, qualia argumenta exposuerit: „quaesturam consulari dignitate ornavit, obwohl nur Quaestor, wusste er sich doch die Würde eines Consuls zu geben. Consulis würde besagen: die Würde des bestimmten, damals im Amte stehenden Consuls.“ Mihi quidem, cum iterum atque iterum explorarem locos, quibus Cicero genetivum nominis substantivi adhibuit, fuit persuasum hoc esse sermoni latino vim afferre[1]). — Nec illud quidem mihi placet, quod in subsidium sibi reservat: genetivo etiam personam aliquam animo cogitandam (ideell) notari, quae tantum una sit; quod ut demonstret, hoc exemplum affert.: de Or. II 18, 75 locutus esse dicitur — aliquot horas de imperatoris officio[2]). Nec tamen quidquam in causa est, cur talem explicationem adhibeamus loco iam supra prolato: de Or. I 2, 8 „si quis forte cum aliis studiis magis hanc dicendi rationem, quam cum imperatoris laude comparandum putet.“

p. Deiot. § 40 sociorum vero cet. ad nostram quaestionem minime spectat, quod adiectivum „regium“ cum vocabulo „socius“ adiectivi loco adhibito omnino coniungi non potest.

Rep. II § 56 tempore annuam cet. ex eo, quod vocabula „tempus, genus, ius“ addita sunt, satis apparet, non esse opponendum „regia — annua potestas.

Reliqui loci ad rem diiudicandam non pertinent.

1) Diffiteri nolo in exemplo a Naegelsb. prolato nomine adiectivo sententiae ambiguitatem evitari, quae genetivo substantivi admittitur.

2) Haec Naegelsbachii opinio etiam iis redarguitur, quae Bakius ad de Or. I 28, 130 adnatavit. cf. pag. 16.

Pro certo igitur affirmaverim hanc notionem imprimis propriam esse nominis adiectivi, praesertim cum permultos locos, quibus genetivus substantivi legitur, codd. peioris tantum notae exhibeant[1]). An quidquam interesse arbitramur, utrum Cicero verba faciat de „officiis praeceptisque oratoris vel oratorum“ (de Or. I 62, 264) et de „vi oratoris“ (de Or. I 6, 22), an de „praeceptis oratoriis“ (Inv. I 4, 6) et de „vi oratoria“ (de Or. III 14, 54) loquatur? Equidem ullum discrimen invenire non possum.

Lectione codicum ad integrum restituta meum erit ea exempla, quae in discrimen vocari possunt, accuratius tractare atque componere.

Hic iterum legentibus in animum revocaverim, quod iam supra pag. 16 monui, explanationem in certos et angustos fines coartari non posse, quare verba Wichertii[2]) vehementer probo atque ad hunc quoque usum nominis adiectivi referre velim.

Sed miram quandam elocutionis brevitatem sermo latinus habet, quam in nostra lingua aequiperare nescio an nequeamus, ubi nomen adiectivum praeter illam notionem appositionis locum obtinet, id quod saepe apparet ex pronomine aliquo possessivo vel demonstrativo apposito, saepius autem ex tota loci sententia colligendum est et facile intellegitur.

Tusc. I 1, 1. Cum defensionum laboribus senatoriisque muneribus essem aliquando liberatus — Nachdem ich endlich von den Arbeiten meiner Vertheidigungen vor Gericht und von meinen Amtspflichten als Senator — befreit bin — p. Planc. 5, 12 M. Seium, qui ne equestrem quidem splendorem — incolumen retinere potuisset — s. Ansehen als Ritter — Tusc. I 3, 6 quare si ali-

1) In libro de Oratore conscripto vicissitudo maxime conspicua est. Cf. haec exempla: I 26, 120 dignum oratoris nomine — num hic oratorem animo cogitandum (den ideellen Redner) intellegi opus est? I 49, 213, II 85, 348 oratoris officium ac nomen — I 49 214 oratoris facultas — I 57, 245 oratoria fac. — I 49 251 oratorius motus — III 21, 81 oratoris munus — I 6, 21, 22; II 17, 72, I 12, 53; 15, 64; 51, 219 II 42, 181: 45, 190 vis oratoris. III 14, 54 oratorum vim; correctionem Bakii „oratoriam vim“, quae unius codicis auctoritate nititur, libenter recipio, cum ita magis confirmetur, quod supra exposui (pag. 16 adn. 2 Attamen nolo reticere, quod ex locis allatis facile apparet in libris de Oratore conscriptis genetivum longe usitatissimum esse. Discrimen vero subtile, quod Bakius (ad I 6, 22) statuit, non pertinet ad nostram quaestionem. I 51, 221 oratoris sapientia — 57, 242 oratoris lacertis, Bakius: oratoriis. —

2) Wichert. l. l. pag. 6.

quid oratoriae laudis nostra attulimus industria — Wenn ich daher durch meine Bemühung etwas zur Gründung unsers Rednerruhmes beigetragen habe — p. Rab. perd. 1, 2 Tum vero, ut id studiosissime facerem, salus rei publicae, consulare officium coegit. Verr. IIa I 39, 98 Audistis quaestoriam rationem tribus versiculis relatam — s. Rechnungslegung als Quaestor.

His peractis quaestio aggrediatur ad id, quod in primis perquirendum mihi propositum fuit: qualis sit usus nominis adiectivi pro substantivi genetivo subiectivo et obiectivo, quos grammatici dicunt. Jam si quis miratur, cur hanc quaestionem perfectam et, ut videtur, plane absolutam denuo instituam, quoniam opusculum illud Wichertii exstet, quod totam rationem comprehendat, ei hoc in animum revocaverim, quod iam in praefatione monui: mihi esse in animo exponere, qualis sit haec ratio in scriptis Ciceronianis solis.

§ 6. Nomen adiectivum genetivi subiectivi loco adhibitum.

Substantivum et adiectivum nullo alio vocabulo inducto enuntiatum aliquod efficiunt.

Substantivum a verbo transitivo derivatum.

Inv. II 22, 67 quod neque in hoc civili iure versantur et a vulgari intellegentia remotiora sunt = vulgus intellegit. — Or. 33, 117 ad commune iudicium popularemque intellegentiam accomodatius. — de Or. I 23, 108 sunt enim varia et ad vulgarem popularemque sensum accomodata omnia genera huius forensis nostrae dictionis. — Brut. 53, 197 ex uno scalmo captionis centumvirale iudicium hereditatis affecisse — p. Rosc. Am. 24, 68 animadversionis paternae metus = pater animadvertit. — p. Cluent. 42, 117 animadversio censoria — leg. agr. II 1, 1 laus popularis — p. Arch. 12, 31 si qua non modo humana, verum etiam divina commendatio debet esse — post red. III 18, 46 honor popularis = populus honorat. — p. Sest. 49, 104 popularis cupiditas — Fam. VII 1, 3 popularis admiratio p. Sest. 25, 55 censoria nota — Legg. III 12, 27 cooptatio consularis — Verr. IIa. I 36, 90; 39, 99 quaestoria procuratio — ibid. III 6, 12 censoria locatio — p. Rab. Post. 10, 28 si curationem et quasi dispensationem regiam suscepisset — leg. agr. II 22, 58 auctio decemviralis = decemvir auctionatur. — Verr. V 72, 184 donum regale — dignum regio munere — IV 30, 68; Fam. I 1, 1 illius regiae largitionis invidia — post

red. I 4, 9 consulare vulnus — ibid. 7, 17 tribunicius — consularis ictus. — Fin. V 5, 14 patria instituta — Tusc. IV 1, 1 cum a primo orbis ortu regiis institutis — p. Cael. 30, 73 possessiones paternae — Fam. VII 20, 1 paternae poss. — In Pis. 12, 30 tribunicia proscriptio. — p. C. Rab. p. 5, 17 non tribunicia actio, sed regia — Att. II 1, 5 consulare dictum — p. Lig. 6, 16; Verr. IV 52, 116 odium hostile — p. Mil. 13, 35 hoc odium civile, quo omnes improbos odimus —[1]) Fin. I 7, 23 cum ipsi naturae patrioque amori praetulerit ius maiestatis atque imperii — leg. agr. III 1, 3 Sullanae assignationes — p. leg. Man. 10, 28 aliena praecepta = alii praecipiunt. — Fam. XIII 8, 2 Sullanae conditiones — Verr. IV 67, 151 tibi habe istam sane laudationem Mamertinam = Mamertini laudant.[2]) — de Or. II 59, 242 Rosciana imitatio senis = Roscius senem imitatur — Quint. fr. II 1, 2 Clodiana incendia — post. red. IV 1, 2 Gabiniani terrores — legg. III 11, 25 adiuncto terrore etiam militari. —

Substantivum a verbo intransitivo derivatum est. —

Brut. 29, 114 popularis assensio — Fam. I 9, 13; Catil. III 10, 24 dissensio civilis — leg. agr. I 3, 8 concursatio decemviralis =

---

1) Hic error tollatur Wichertii, qui proferens exemplum ex. Corn. Nep. XXIII 1, 3 „hereditate relictum odium paternum reservavit“ vocabulum „odium“ a verbo intransitivo ducendum esse ait, qua in re errorem cum admisisse nullo opus est argumento.

2) Wichertius ipse proferens illud exemplum adnotat haec: „Offenbar zum Ausdruck der Verächtlichkeit geeigneter, als das von Zumpt aufgenommene: Mamertinorum.“ In secunda editione Orelliana (recogn. Jahnius) ad hunc locum adnotatum est: Mamertinam codd. dett.“ —

Codices, qui „Mamertinorum“ exhibent, Zumptio auctore hi sunt: Lambini vetus codex, Leydensis, Guelferbytani — „quod editur ex reliquis „Mamertinam“ non est latinum, ut nemo dixerit „urbs Mamertina“. — Quid ea adnotatione Zumptius sibi voluerit, plane non intellego et miror, primum quod res dissimillimas hic confudit, cum longe alia sit causa, cur constructio „urbs Mamertina“ evitetur, deinde, quod eum effugit Ciceronem eandem ab ipso abiectam structuram adhibuisse Verr. V 22, 57: hic mihi etiam audebit mentionem facere Mamertinae laudationis“ — quo loco adhuc nulla lectionis varietas reperta est. At dixerit hic structuram „Mamertinae laudationis“ eo tantum consilio adhibitam esse, ut duplex genetivus evitetur. Cum vero constructio eiusmodi: mentionem facere laudationis Mamertinorum“ ab optimo latino sermone omnino non abhorreat, aut scriptura loci V 22, 57 ita nobis sananda est, aut illam IV, 67, 151 laudationem Mamertinam“ saltem latinam esse confiteamur necesse est, quippe quae nonnullis codicibus, quamvis deterioris notae confirmetur.

decemviri concursant — p. Sest. 54, 115; 58, 124 consessus gladiatorius — Verr. IV 48, 107 virorum mulierumque conventus — ibid. IIa. I 58, 139 meretricius conventus = meretricum — meretrices conveniunt — Verr. IV 31, 70 e conventu Syracusano — ibid. V 54, 140 e conventu Panormitano — Acad. prior. II 2, 6 popularis coetus = populus coit — Rep. II 6, 10 Gallicus adventus — Tusc. V 36, 103 popularis offensio — p. Mil. 8, 22 populares insaniae — p. insanit — Phil. I 9, 22; p. C. Rab. p. 8, 22 furor tribunicius — p. Mil. 13, 34 furores Clodiani — cf. Phil. III 7, 17; IV 1, 3 furor Antonii — post red. I 15, 38 tribuniciae rogationes — Att. I 16, 2 consularis rogatio — p. Planc. 22, 53 sortitio aedilicia — Fam. XII 25a, 6 Antonianum latrocinium — p. Sest. 62, 132; Att. IV 3, 3 Clodianum latrocinium — Att. VIII 11, 2 Sullanum regnum — leg. agr. I 8, 24 regnum decemvirale — Verr. Ia. 12, 35 dominatio regia in iudiciis — Tusc. IV 1, 1 dominatu regio re publica liberata — Phil. I 6, 13 ipse dominatu regio rem publicam liberavit — Phil. V 15, 40 dominatum regium maximo displicere — Phil. VII 5, 14 liberati dominatu regio videbamur — Fam. XII 1, 1 interfecto enim rege omnes regios nutus tuemur — p. Mur. 20, 42 Sullana gratificatio — p. Planc. 31, 76 Cispianum iudicium — Brut. 50, 188 populare iudicium — Att. VII 11, 4 dolor municipalis — p. Flacc. 42, 106 maeror patrius — Verr. III 30, 72 praetoria praeda — ibid. Apronianum lucellum — Att. VI 1, 17 erratum fabrile — Verr. IV 37, 81 adventicium auxilium.

Structuras igitur supra tractatas ex ipsis vocabulis interpretari possumus, ita quidem, ut pro substantivo nomine verbum, pro adiectivo substantivum inducamus; quod ut facere possimus, non adiectivis, sed substantivis efficitur, quae aliquam verbi vim retinuerunt, (quam ob rem a grammaticis „substantiva verbalia“ nominantur).

§ 7. Ad alteram rationem, quae verbo aliquo inducto ad interpretationem indiget, priusquam nos vertamus, aliud genus assimulationis, quo ad illam quaestionis particulam sensim traducemur, adnectere visum est. Nomen enim adiectivum substantivo assimulatum etiam positum est pro altero nomine substantivo, quod attributionis loco cum illo vocabulo coniungendum est. Ut enuntiatum aliquod fiat, verbum substantivum „esse“ adhibendum est.

1. Hoc assimulationis genere substantivis, quae generaliter locum quendam significant (ut sunt: urbs, colonia, municipium, mons, flumen, mare cet.) adiectiva adiunguntur, ut illum nominatim ap-

pellent. Admodum pauca exempla in Ciceronis libris inveni: p. Caec. 4, 10 municipium Tarquiniense — Fam. XIII 13 munic. Lucense — In Pis. 23, 53 Placentinum m. — Verr. II 8, 22, 47, 115 mons Erycius (?) cf. Wich. pag. 9.

Cum copia exemplorum perexigua sit, de hoc usu accuratius disserere nequeo; hic pauca afferam, quae in discrimen vocari possunt. Licet enim disceptare, ex qua constructione verborum illa nata sit. Perraro quidem, sed auctoritate meliorum librorum commendatum apud Ciceronem nomen substantivum alteri appositum reperitur, ut „Roma urbs“ — leg. agr. II 14, 36 mons Gaurus — Fam. II 15, 5 m. „Taurus“, quod alii ellipseos genus statuunt, ex plena absolutaque sententia contractum — (verbi substantivi participium praesentis „ens“ in appositione intellegendum esse) alii nomina substantiva apposita in eundem numerum referenda esse putant, in quem adiectiva cum substantivis suis proxime coniuncta, nisi quod illa ne sic quidem suam substantivorum naturam exuunt. Alia est eorum ratio, qui proficicendum esse iudicant a genetivo appositionis, qui etiam apud Ciceronem reperitur: Att. V 18, 1 in oppido Antiochiae — Schultzius[1]) v. doctissimus totam hanc rationem confundere mihi videtur ratus genetivum appositionis esse intellegendum eum, qui saepius coniungatur cum vocabulis: vox, nomen, verbum, vocabulum, causa cet. (quam structuram grammatici genetivum explicativum vel epexegeticum appellant).

Quare si sententias duas posteriores coniunctas ad nostram quaestionem adhibemus, ex analogia tales constructiones formari possunt: „vox voluptaria, das Wort Vergnügen,“ quales nusquam exstare arbitror. At ut breviter quaestionem praecidam, equidem hunc usum adiectivi ad structuram substantivi appositi referre simplicius esse opinor.

2. Eadem fere interpretandi ratione uti debemus in structuris, quibus nomen adiectivum aliquod substantivo, quod est nomen, assimulatur. In libris Ciceronianis permulta exempla repperi, quo ex numero gravissima proferam. Tria autem genera sunt, quantum equidem perspicio, omneque discrimen in eo versatur, quo pacto vox „nomen“ ad totum enuntiatum referatur. Longe maximus numerus eorum est, in quibus vocabulum „nomen“ suam ipsius vim retinet (Name, Titel, Berechnung), ita ut adiectivum

[1]) Schultze: de linguae latinae appositione. Prenzlau 1843.

locum obtineat substantivi, quod grammatici appositionem nominant; at videamus exempla, qualia sint:

p. Mur. 16, 34 Mithridates etiam in extrema fortuna nomen retinuit regium — post red. IV 13, 29 Deiotarum saepe a senatu regali n. dignum existimatum — tu etiam regem appellari iubes — Verr. III 19, 49 quantum istius insidiae — quas exteris nationibus, ordini, nomini denique senatorio facere conatur („nom. senatorium" seiungitur a notione „ordo senator., ut summus insidiarum gradus exprimatur) — p. Deiot. 13, 36 cum et ipsi et filio n. regium concessisti — ibid. 14, 40 semper regium n. in hac civitate sanctum fuit — p. leg. Man. 9, 24 ut iis n. regale magnum et sanctum esse videatur — Rep. I 40, 62 non vides — superbia Tarquinii n. huic populo in odium venisse regium? — ibid. II 23, 43 tamen excellit illud regium n. — ibid. 28, 50 tamen excellit potestas nomenque regium — p. Planc. 13, 31 qui si esset turpissimus, tamen ipso n. patrio valeret apud clementes iudices — durch den blossen Namen „Vater" — p. Cluent. 5, 12 quo enim est ipsum n. amantius indulgentiusque maternum — Phil. XIV 5, 12 clarissimis ducibus supplicationum honorem tribuemus, n. imperatorium adimemus — Fam. XI 4, 1 non tam imperatorium n. captans — leg. agr. II 26, 68 qui paulo ante diem noctemque tribunicium nomen horrebant — p. Planc. 13, 32 Sed cum Cn. Plancius sit is eques Rom., ea primum vetustate equestris nominis — (haec verborum structura iam ad alterum genus a me proferendum inclinat, quod sententia verborum haec est: Pl. ex vetere familia ordinis equestris natus erat.) Phil. XII 3, 8 ipsa illa Martia legio — illud pulcherrimum n. Martium amittet — n. Martiae sc. legionis — Brut. 14, 53 ut e civitate regalis n. memoriam tolleret[1]).

Nec vero desunt exempla genetivi appositionis eaque maxime in coniungendo nomine proprio cum substantivo „nomen" — p. Flacc. 20, 48 Fufiorum se affirmavit nunquam omnino n. audivisse — Hoc loco erroris evitandi causa genetivus adhibetur; in paragrapho enim antecedente scriptum legimus: de nomine (Capital) Fufiano respondit, se omnem pecuniam Fufiis persolvisse — Fuf. n. = pec., quam Fufiis deberet — Phil. I 2, 5 uncus impactus est fugitivo illi, qui in Marii n. invaserat — ibid. 2, 4 cum dic-

[1]) Sententia ambigua videtur: den Namen „Tarquinius" oder den Titel „König".

tatoris n. funditus ex re publica sustulisset — ibid. 13. 32 dictaturae n. funditus sustulisti — post red. IV 27, 57 parentum n. ibid.: Fonteianum n. — post red. I 4, 10 sed fuerunt ii consules, quorum mentes n. ipsum consulatus — p. Planc. 35, 87 recordare, qui tum fuerint consulum nomine hostes — Phil. X 37 eos, qui, regni n. sustulerint — Brut. 13, 51 honores illustre oratorum n. reddiderunt. —

Saepenumero autem substantivum „nomen" quasi paraphraseos causa, ut ita dicam, cum adiectivo aliquo conectitur pro substantivo personam quandam notante, ut in his exemplis:

Verr. V 16, 40 cum penes te praetorium n. esset[1]) — p. Sest. 14, 32 tantum homines fefellisti, ut rem publicam proderes, consulare n. affligeres — Verr. III 41, 96 ut hoc amplissimum n. senatorium non modo ad invidiam — natum esse videatur.

Genetivus appositionis:

In Caecil. 4, 13 quod omnino Marcellorum nomini tota illa provincia adiuncta est. — p. Flacc. 26, 62 ut iam fractum prope Graeciae n. huius urbis laude nitatur — p. Arch. 11, 27 in qua urbe imperatores poetarum n. et Musarum delubra coluerunt —

Haec duo genera nulla difficultate ad rationem, de qua supra verba feci, referri possunt, ita ut hoc modo enuntiatum efficiatur: nom. regium = „rex" est nomen — n. consulare = „consul" est nomen cet.

Tertium genus est eorum, in quibus vocabulo „nomen" inest notio: „Vorwand, Grund" = simulatio, quam si retinemus, hoc quoque genus superioribus adnumerari potest: frumentum, servus cet. est nomen, vel nomini (dient zum Vorwande); sin autem sententiam principalem vocabuli praeferimus, ita ut hoc modo explicemus: frumentum — servus dat (praebet) nomen — (giebt seinen Namen her), hic usus ei similis est, de quo postea disseram.

Recognoscas mecum hos locos:

Verr. III, 19, 49 cognoscite nunc innumerabilem pecuniam frumentario n. ereptam; — hoc unum exemplum adiectivi assimulati mihi praesto est, reliqua sunt genetivi apposit. — Verr. III 39, 89 nisi omnis ea praeda servi nomine ad istum

[1]) Illis verbis scriptor indicare vult, quam longe animus et ratio Verris abhorruerit a viro vere praetorio.

ipsum perveniret — ibid. 25, 61 istum decumanorum nomine ad suos quaestus esse abusum — p. Sest. 15, 34 servorum delectus habebatur — nomine collegiorum — Offic. I 17 prandia in semitis decuman. nomine magno honori fuerunt — p. Font. 9, 19 quaternos denarios in singulas vini amphoras portorii nomine exegisse — Verr. II 59, 145 statuarum nomine.

Ab illis superioribus exemplis, ni fallor, separandum est, quod invenitur: Phil. II 24, 58 quam homines obviam necessario prodeuntes non noto illo et mimico nomine, sed Volumniam consalutabant — non enim scriptor nomen (die Bezeichnung) „mimam" intellegi vult, sed nomen, quod feminae illi erat, cum mima esset, ut apud nos histriones in theatro et homines quidam litterati nonnunquam veri nominis obtegendi causa novum sibi imponunt.

Id quod Wichertius adnotavit[1]): Bei titulus, vocabulum, vox und verbum scheint die hier in Betracht kommende Assimilation gar nicht gebräuchlich gewesen zu sein — de scriptis Ciceronianis affirmaverim; nullum enim inveni exemplum adiectivi usurpati, genetivi appositionis haec: Fin. II 2, 6 quid sonet haec vox voluptatis — Tusc. III 34, 81 separatim certae scholae sunt de omni casu, in quo nomen poni solet calamitatis — nomen = vocabulum, vox.

Ceterum gaudeo, me nactum esse exemplum, quo pro certo statuere et diiudicare possum, quod Wichertius[2]) in incerto reliquit: „num exstent structarae huiusmodi: laus humana, brevis = l. humanitatis, brevitatis, der Kürze im Ausdruck, facultas eloquens = eloquentia est facultas, aliae". – Etenim facile est intellectu similem esse conformationem, quae reperitur: Phil. XVI 12, 33 ita pro mortali condicione vitae immortalitatem estis consecuti = mortalitas est condicio vitae. Quamquam non diffiteor, quod Cicero hanc ipsam compositionem verborum more poetarum formatam adhibuerit, illud magni momenti fuisse, ne cogatur geminum genetivum recipere, („pro condicione mortalitatis vitae"), tamen simpliciter scribere potuit: pro mortalitate (vitae) immortalitatem cet.

Abhinc sensim deducimur ad eam rationem, quam alteram posuimus.

[1]) pag. 12 § 11 s. f.
[2]) pag. 13 § 12 s. f.

Substantivum et adiectivum assimulatione cum illo coniunctum verbo inducto ad pronuntiationem efficiendam indigent. § 8.

Antequam ad hanc rationem singulis exemplis illustrandam accedamus, in universum lectorem aliquid commonere libet. Quamquam enim Wichertii dispositionem usurpavi, quaestione ipsa datam esse ratus, tamen in exemplis digerendis ei ubique assentiri nequeo, cum eum sibi non constitisse facile perspiciatur. Is enim primum genus assimulationis eas structuras posuit, quae ex ipsis vocabulis explanari possunt: popularis admiratio = populus admiratur, Rosciana imitatio = Roscius imitatus est — alterum eas, quae ad interpretationem verbum aliquod desiderant; huic autem alteri rationi exempla supponit, quae ne priori adnumeremus, nihil nos impedit. Immo vero praestare mihi videtur, ad illam priorem rationem quam saepissime recurrere, quod ea simplicior est. Hic habes exempla a Wichertio ad hoc alterum genus explicandum prolata:

post red. I 7, 17 cum ego una cum re publica non tribunicio, sed consulari ictu concidissem — Wich.: tribunus — consul dat, infert ictum; ego potius: trib. — cons. icit — post red. I, 4, 9 nisi consulari vulnere concidissem — W.: consul vulnus intulit — at simplicius: cons. vulneravit — p. Flacc. 17, 41 crimen Mithridaticum, ibid. 36, 90 cr. Falcidianum „Anschuldigungen, die M. F. erhoben hat" — ego praefero: Mithr. — Falcid. — criminatus est — Att. VI 8, 2 Batonius miros terrores ad me attulit Caesarianos — W.: Caesar terrorem intulit — melius videtur: Caesar terruit, — cum Wich. ipse alium locum: belli terror = bellum terret interpretetur.

Si Wichertii divisionem retinemus, illud concedamus necesse erit saepenumero discrimen factum esse, ubi re vera nullum est. Exemplis enim, qualia haec sunt: tribunicia proscriptio = tribunus proscribit, tribunicius impetus = tribunus impetum facit, alterum alteri generi attribuendum est nullo alio discrimine, nisi quod nomen „proscriptio" substantivum verbale est. Quae cum ita sint, fines alterius generis latius, ut ita dicam, productos esse arbitror, quamquam non diffiteor dignum esse viro magni ingenii, quod Wichertius adnotavit[1]): „dass es der Natur der Sache angemessen sei, dass man das Gebiet des loseren und vieldeutigeren

[1]) pag. 29. § 32.

objectiven Genetivs, sowie des denselben vertretenden Adjectivs nicht unnöthig ausdehnt, sondern möglichst zu beschränken sucht." Sed ne quis putet me inanibus verbis disceptare, id agam, ut scrupulos meos argumentis confirmem atque stabiliam. Quare mecum recenseas, quaeso, haec exempla a Wichertio allata:

Verr. IIa, I 58, 152; 47, 123 bona patria — fraterna h. e. bona, quae pater, frater reliquit W. Equidem potius explicaverim: bona, quae patris — fratris fuerunt, ita ut e genetivo possessivo colligere possis, rationem possessivam (Possessiv-Verhältnis) esse cogitandam, quamvis possessio temporis praeteriti sit; quim etiam fieri potest, ut aliquis loquatur de bonis patriis vel paternis = patris i. e. de bonis, quae pater vivus etiam nunc possidet.

p. Cael. 28, 67 requiram — alveusne ille an equus Troianus fuerit, qui tot invictos viros muliebre bellum gerentes tulerit ac texerit" W.: ein Krieg, den ein Weib (Helena, Clodia) veranlasste. Alia vero est dubitatio, quam mihi affert illud „muliebre bellum." — Utrumque bellum nominari potest „muliebre", sed nequaquam idem est. Clodia fuit auctrix belli, Cl. effecit, conflavit bellum; Helena autem causa tantum belli fuit, propter Helenam bellum gestum est. Quantum auctor et causa inter se differant, non est, quod moneam. Quare structuram „muliebre bellum" h. e. quod ob Helenam gestum est, huic rationi non subiecerim.

Fam. II 17, 1 sublato metu Parthico — Att. VI 8, 1 terrores ad me attulit Caesarianos — Similis est dubitatio mea, sintne eiusdem generis tales verborum constructiones: metus Parthicus, terrores Caesariani, eo omisso, quod iam supra ad verba „terr. Caes." adnotavi. Caesar auctor fuit terroris; fieri autem potest, ut aliquem metuamus, qui metui non vult vel saltem metui sese nescit.

Haec protulisse ad tempus satis habeo et ad locos singulos enumerandos me vertam.

§ 9. Assimilationi adiectivi ratio quaedem possessiva inest.

Ac primum quidem afferam adiectiva notantia personam, quae rem aliquam habet vel possidet.

Inv. I 31, 51 ceterum ornatum muliebrem[1]) — ibid. 2, 2 humani officii ratio — de Or. I 8, 33 cultus humanus et civilis

[1]) Respicienda est forma singularis numeri: ceterum; nominativ. sing. nusquam repperi — cf. Verr. IV 22, 49; I 2, 6.

— Top. 17, 66 negotia aliena = alii habent negotia; vocabulo „alienus" pro casibus genetivis: alius, aliorum Cicero sescenties utitur.

de Or. I 61, 260 usus vulgaris ac forensis — cf. pag. 18 sqq. Fam. X 20, 2 vulgare proverbium — p. Plancio 23, 57 vox vulgaris — Off. I 41, 148 mos consuetudoque civilis — p. Sest. 8, 19 purpura plebeia — Tusc. I 48, 116 ne posset agnosci, si esset ornatu regio — Verr. IV 22, 48 hospitalis mensa — leg. agr. II 17, 46 sedes hospitalis — p. Cael. 1, 1 opes meretriciae — muliebris libido — Verr. IV 37, 81 pars virilis — leg. agr. I 19, 51 regii agri — p. Rab. Post. 17, 45 latent regiae divitiae — (Verr. II 19, 46; Phil. XIII 5, 10 bona patria. —)

Huc exempla nominis substantivi, quod est modus, coniuncti cum adiectivo aliquo personam signante referenda sunt:

Verr. I 5, 13 cives Romani servilem in modum cruciati et necati — Modus cruciandi et necandi, qui quasi proprius est servorum, hostium cet. — ibid. V 28, 73 cives Rom., hostilem in modum cruciati et necati — prov. cons. 3, 5 urbs hostilem in modum vexata — p. Rab. perd. 9, 24 hominis hostilem in modum seditiosi — Att. V 9, 1 epulati essemus Saliarem in modum — Similitudo quaedam inest huic structurae: Divin. I 2, 4 cum duobus modis animi sine ratione et scientia incitarentur, uno furente, altero somniante[1]).

Adiectiva a nominibus propriis derivata saepe assimulantur:

p. Caec. 29, 82 Fulcianus fundus — p. Flacc. 36, 89 Valeriana bona — ibid. 28, 66 aurum Judaicum — Phil. II 17, 43 Leontinus ager — Campanus = Leontini — Campani agros possident — ibid. XIII 16, 32 Apuleiana pecunia — Verr. Ia. 8, 22 pecunia Siciliensis — p. Flacc. 20, 47 nomen Fufianum (Capital) ib. 23, 54 Castricianum nom. — Fam. IX 15, 2 domus Sullana — ibid. 16, 10 villa Seliciana — ibid. XIII 8, 2 bona Plotiana — Att. XVI 26, 4 Tullianum caput. — Catil. I 5, 10 Manliana castra — Att. XII 21, 2 venales certe sunt Drusi; fortasse et Lamiani et Cassiani — cf. ibid. 22, 3 paratissimi sunt Drusi (Or. Drusiani). — ibid. 23, 3 de Drusi hortis — 25, 2 Drusiani horti — ibid. 31, 2 horti Drusi. —

Longum est omnes locos afferre praecipue qui sunt in Ciceronis epistulis, quas editas esse, sicuti scriptae fuerant, et memoriae proditum est et ex ipso dicendi genere apparet; quare haud pigebit

[1]) cf. Wich. § 6.

eas separatim tractare. — Unum vero exemplum dignum videtur, cui aliquid temporis atque diligentiae tribuamus, legimus enim: Att. IV 3, 3 Dum ex Anniana Milonis domo Q. Flaccus eduxit viros acres" — antea: nam Milonis domum, eam, quae est in Germalo". — Ciceronem hic verba facere de duabus domibus, quae fuerint Milonis, manifestum est; ista prior verborum constructio ex hac origine est orta: Milo C. Papii Celsi filius ab avo paterno T. Annio adoptatus nominabatur: T. Annius C. F. Milo Papianus; itaque sententia loci haec est: „das Haus des Milo, welches dem Annius einst gehörte — welches er von Annius geerbt hatte". —

Sequantur ea adiectiva, quae ad ordines et magistratus rei publica Romanae pertinent:

Verr. II 53, 133; V 12, 30 domus praetoria — p. Cluent. 42, 117 auctoritas censoria — ibid. 46, 129 cens. severitas — 44, 125 censoria voluntas — p. Cael. 15, 35 censoria gravitas — Verr. IV 43, 94; Catil. II 11, 24 cohors praetoria — p. Mil. 39, 89 victus consularis — post red. I 13, 39 tribunicius sanguis —

postremo afferam, quae domesticam personam designant, ut sunt: patrius, paternus, maternus, avitus, fraternus cet. —

p. Cluent. 11, 31 maternum corpus — Fam. V 2, 6 fraterna voluntas — p. Rosc. Am. 24, 68 sanguis paternus — 66 maternus — de Or. I 18, 84 mos erat patrius — Divin. II 33, 71 patrius mos — Legg. I 3, 10 mos patrius — ibid. II 16, 40 ritus patrii — p. Sest. 38, 81 fuistisne vos ad patrium illum animum maiorumque virtutem excitaturi — Phil. II 11, 29 patrium animum virtutemque capiamus — p. Sest. 21, 48 ex qua P. Decius primum pater, post aliquot annos patria virtute praeditus filius — p. Balb. 10, 25 nos paterna virtute privari — Verr. II 19, 46; Phil. XIII 5, 10 bona patria — Verr. IIa. I 44, 113 bona patria voluntate patris tradita — p. Quinct. 31, 98; Verr. II 18, 45 bona paterna — p. Cael. 14, 34 bona paterna et avita — Verr. I 61, 146; p. Cluent. 13, 36 fortunae patriae — Phil. XIII 5, 12 ut — Cn. Pompeii filius posset et dignitatem et fortunas patrias recuperare — p. Flacc. 21, 51 fundi paterni — Verr. III 41, 97 paternae orationes — p. Rosc. Am. 8, 33 foci patrii — Phil. XIII 17, 34 horti paterni p. C. Rab. p. 12, 37 sepulcrum patrium — Verr. IV. 4, 7 sacrarium paternum — post red. III 13, 35 sacra paterna p. C. Rab. p. 10, 30 patria fana atque delubra — p. Cael. 16, 37 auctoritas patria — Phil. XIII 5, 11; Fam. X 4, 1 paterna necessitudo —

Fam. XIII 51 pro nostra et pro paterna amicitia — prov. cons. 8, 19 — An Ti. Gracchus — patrem dico cuius utinam filii ne degenerassent a gravitate patria — Verr. IV 27, 61 regnum patrium — p. leg. Man. 3, 7 emergere ex patrio regno — p. Sest. 26, 57 regnum paternum atque avitum — p. leg. Man. 8, 21 regem spoliatum regno paterno atque avito — Verr. Ia. 5, 13 nulla res tam patria cuiusquam atque avita fuit — Verr. III 16, 43 paternus honor et avitus — Brut. 33, 126 vel paterna vel avita gloria — Tusc. I 19, 45 patrita et avita philosophia[1]) — Verr. I 3, 7 „dii patrii" et alias saepissime — Cato Mai. 11, 35 paterna magnitudo — In Pis. 26, 62 paternum genus — maternum — Phil. X 6, 14 paternum maternumque genus et nomen. —

Liceat mihi hic paulum subsistere et a proposito digredi ad quaestionem instituendam, quam a nostra non longe abesse existimo. Cum enim operam navarem in usu adiectivi exquirendo et in infinita locorum serie colligenda et disponenda, ferebat res, ut adiectiva, quae synonyma appellantur, conferrem atque inter se compararem. Id facienti mihi persuasi idem, quod iam in praefatione commemoravi, (grammaticos parum discernere, quid singulis scriptoribus vel temporibus tribuendum sit), vel maxime cadere in eos, qui libros de synonymis conscripserunt. Illud praecipue de adiectivis, quae sunt: patrius et paternus, regius et regalis — menti infixum est. Quare si hoc ipso loco proposito deserto pauca de illis adiectivis addam, spero me ab eis, quorum iudicio hoc meum opusculum commendari velim, veniam impetraturum esse, propterea, quod multitudo locorum, quos supra congessi, ad conferendum quasi incitat et ita, quidquid in medium proferam, melius aestimari potest. Neque tamen quisquam postulabit, ut commemorem quodcunque viri litterati de his nominibus adiectivis explicaverunt, sed pauci tantum nobis sufficient ex quibus principem Reisigium adduco[2]):

„Die Endungen ius und ernus sind zu vergleichen in patrius und paternus. Patrius ist das, worauf man vom V. her ein Recht hat, z. B. patria rura, bona cet., selbst das Vaterland heisst aus diesem Grunde patria, nämlich terra. Hieraus folgt die engere

[1]) Cum Orellio potius scripserim „patria", quam lectionem unus codex exhibet.

[2]) K. Reisig's Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft. Herausgegeb. v. Dr. Friedr. Haase, Leipzig 1839, § 108.

Bedeutung: was man vom V. erwarten kann, was dem V. ziemt, z. B. amor patrius. Paternus aber heisst, was man vom V. empfangen hat, ohne Rücksicht darauf, dass man ein Recht dazu hatte, oder überhaupt, das, was des V. ist, was ihm angehört, z. B. amor paternus, d. h. amor patris (Liebe zum Vater.) Graece: patrius = πάτριος, paternus = πατρῷος." —

Haasius adnotavit haec[1]): „Oft werden dieselben Dinge patria und paterna genannt. Mir scheint der Unterschied einfach der zu sein, dass bald pater, bald die ganze Reihe der patres dabei zu Grunde liegt, woraus dann die Bedeutung des Herkömmlichen, Angestammten, Vaterländischen von selbst entsteht. Beides umfasst patrius, paternus nur das Erstere."

Georges[2]): „paternus = väterlich der Gattung nach, insofern die dem Vater gehörenden oder ihn angehenden Gegenstände von einander unterschieden werden können und insofern pater als ein Individuum nur einem andern (frater, mater) entgegengesetzt wird. — Patrius = väterlich der Art nach, insofern der Begriff pater dem allgemeinen Begriff alienus gegenübersteht."

Schultzius hoc modo explicat[3]): „Paternus bezeichnet väterlich als dasjenige, was der V. hat oder gehabt h., was die Kinder von ihm bekommen haben. Patrius 1. als dasjenige, was der Vaternatur eigen ist, 2. als dasjenige, was den Vätern, Vorfahren oder dem Vaterlande angehört".

Quamquam mihi in animum revocavi, quod alio loco professus sum: eum insolenter facere, qui unius tantum scriptoris dicendi genus scientia complexus de vocabulorum notione diiudicare conetur, illud tamen mihi persuasum fuit fieri non licere, ut interpretatio abhorreat a sermone scriptoris, qui tantae esset gravitatis et omnium consensu certissimus ad linguam latinam penitus cognoscendam. Ciceronem vero ipsum aliquid discriminis fecisse apparet ex eo, quod quaedam structurae fixae atque stabiles sunt, ut: mos patrius, dii patrii (nusquam dii paterni inveni), amicus paternus (amicus patrius apud Ciceronem non exstat.) Sed difficile est structuras huiusmodi: patrius mos, patrius animus, patria instituta — ad Reisigii explicationem accommodare, quibus locis adiectivum „paternus" desideraretur, si illam definitionem sequeremur; nec

---

1) Reisig's Vorlesungen cet. Adnot. 189.
2) Lexicon s. v.
3) Schultz, lat. Synonymik. Paderborn 1856.

non in alteram partem eadem difficultas nobis obstat in exemplis eiusmodi: fundi — horti paterni — bona paterna — paternum genus — nomen. Quare illam explicationem Reisigii subtiliorem, quam veriorem esse arbitror et multo magis mihi quidem probari potest, quod Haasius adnotavit, cum minus artificiosum sit; quae eius explicatio etiam firmatur exemplis eiusmodi: p. Sest. 21, 48 „ex qua P. Decius — patria virtute praeditus filius" — hic enim pater P. D. solus cogitandus est, cum in hoc exemplo: Phil. II 11, 29 „patrium animum virtutemque capiamus" — maiores in universum designentur — et eo, quod adiectiva „paternus" et „avitus" saepius coniuncta invenimus. Illud tamen concedendum nobis est Ciceronem non constantem fuisse, quod facile ex his locis colligi licet: Verr. Ia. 5, 13 res patria — atque avita; p. leg. Man. 8, 21 regnum patrium atque avitum — Tusc. I 19, 45 patrita (patria) et avita philosophia — p. Balb. 10, 25 nos paterna virtute privari" — quo loco adiectivum „paternus" pro genetivo „maiorum" usurpatum est. —

Nec Schultzii definitio in omnes locos adhibenda est, nisi perbrevi in angustias incidere volumus. — Qua de causa, quaerimus, scriptor non coniunxit: sepulcrum paternum sed patrium? (p. C. Rab. p. 12, 37).

Minime vero illa Georgis explicatio mihi probatur, quam illa Reisigiana etiam artificiosiorem esse puto; quamobrem non dubito fateri me in interpretandis structuris huiusmodi: „bona patria — paterna" — consilii inopem esse. Nec tamen aliam novam inducam, cum certe immaturum quidem esset usu Ciceroniano tantum recognito diiudicare velle; mihilominus exemplis illis allatis me aliquid contulisse arbitror ad quaestionem illam instaurandam.

Paene eadem est condicio variae notionis, quae ines adiectivis „regius et regalis", de quibus disserere hoc ipso loco maxime opportunum mihi videtur. Exempla plurima cum aliis locis, tum pag. 24 et 26 invenies.

Vir doctissimus Doederlein adiectiva nostra ita inter se differre ait[1]), ut „regius" significet: „was einem K. gehört oder von ihm stammt — regalis: was einem K. ähnlich oder seiner würdig ist". —

Georgis explicatio haec est: „regius = was dem K. gehört, von ihm ausgeht, seine Person und seinen Stand zunächst angeht

---

1) Doederlein, lat. Synonyme u. Etymologien. 6 Bd. Leipz. 1826/39.

und damit unzertrennlich verbunden ist — regalis = beschaffen, wie es eines K. würdig, ihm anständig, gemäss ist."

Schultzius hanc definitionem praebet: „regius ist, was und wie es ein K. hat, was und wie es ein K. macht u. s. w. — regalis ist, was und wie es ein K. haben soll, was und wie es ein K. machen soll u. s. w. — Jenes bezeichnet blos die Eigenschaft, Art und Weise eines K.; dieses seine Auszeichnung und Würde; daher ist regius zuweilen despotisch, tyrannisch."

Quamquam ex his definitionibus postrema mihi maxime probata est, tamen nihil esset, cur illas priores abiicerem, si huiusmodi tantum loci exstarent:

Fin. II. 31, 69 pictam in tabula Voluptatem pulcherrimo vestitu et ornatu regali = ein Schmuck, dem eines K. ähnlich — eines K. würdig.

Tusc. I 48, 116 ne posset agnosci (Codrus), si esset ornatu regio = in seinem königl. Schmucke —

Sed ad multos alios explanationes illae non quadrant, id quod postea demonstrabimus.

Alterum nomen adiectivum alteram significationem habere posse, satis perspicitur ex hoc loco: Verr. V 72, 184 „donum regale, dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio — dignum regio munere" — quem locum hoc modo explicandum esse duco: don. regale = donum regum (d., quod a regibus profectum est) das Geschenk der Könige — werth der Bezeichnung: eine königliche Ehrengabe (Geschenk) vel potius: das Geschenk von Königen zu sein — „ein für Könige passendes Geschenk"; structurae verborum: „dignum regio munere" hic eadem notio inest, quam Georg. et Doed. soli adiectivo „regalis" tribuunt. Hoc in medio relinquens, num verba „regium munus" sola idem significare possint et illud „dignum" similitudinis tantum causa sit appositum, praefracte nego aliam explicationem ferendam esse, interpretari licere nego: das königliche Geschenk (i. e. eines K. würdige G.) — dig. r. m. = werth das Geschenk von Königen zu sein; hoc enim modo si interpretamur, vereor, ne scriptori invito repetitionem, quam Graeci „ταυτολογίαν" appellant, vindicemus[1]), praesertim cum superiore illa explicatione melior sententia efficiatur.

[1]) Haec mea opinio discrepat ab explicatione Halmii (ed. oratt. IV. et V. in Verrem) regale: eines K. würdig, d. i. herrlich, prächtig. Da die Würdigkeit des Geschenkes von drei Seiten aus betrachtet wird, so kann dignum regio munere (einer von Königen dargebrachten Ehrengabe) nicht als Tantologie erscheinen.

Nec illud quidem colligendum est vocabulis „regium munus" sententiam esse subiiciendam: „werth, ein Geschenk dieser bestimmten Könige zu sein; quod si fieret, iure pronomen demonstrativum desideraremus. Perversum vero totum enuntiatum esset, ut ante iam docui, si in eo, quod viri illi de significatione utriusque adiectivi statuerunt, perseverare vellemus. Sed alia quoque exempla accuratius contemplemur: p. Deiot. 14, 40 semper regium nomen in hac civitate sanctum fuit — p. leg. Man. 9, 24 quod regale iis n. magnum et sanctum videatur — post red. IV 25, 54 regalis potestas sc. Sullae — leg. agr. II 13, 32 potestatem verbo praetoriam, re vero regiam — Cfr. Rep. II 15, 29 regiis annis dinumeratis — p. Cluent. 44, 123 ne potestatem regiam permittatis. — Quis est, qui contendere velit illis superioribus locis (Deiot. 14, 40; Man. 9, 24) inter vocabula regius et regalis discrimen intercedere? Enimvero, quod legimus, de nomine (Titel) regis agitur, quod iam docui pag. 25 sq.

Similiter significatio utriusque adiectivi eadem est in exemplis subsequentibus; nam Cicero verba facit de viris, qui potestatem tantam usurpaverant vel quibus populus tantam concessit, quanta regis est. Quam discrepantiam sententiae quantumvis parvam hoc loco oriri arbitramur?

Sed ne cui suspicio moveatur me ea tantum exempla protulisse, quae opinionem meam praeiudicatam lectori quoque probare possint, profiteor me, cum locos colligerem, explicationi virorum illorum d. plane assensum esse. Illud vero vehementer negaverim, quod quidem ad Ciceronem pertinet, ubique tam subtiliter distinguendum esse, ne cogamur scriptori vitio dare, quod ipse secum non consenserit; hoc unum vero facile apparet vocabulum, quod est regius, multo saepius esse adhibitum. —

Jam ut eo, unde digressi sumus, revertamur, addenda videtur compositio nominis substantivi, quod est tempus, cum adiectivo aliquo a nomine proprio ducto, ut spatium temporis notetur, quo quis turbulenta vi vel armis rerum condicionem mutaverit, ita ut illud temporis spatium quasi obtineret et possideret. — Locos a Wichertio prolatos his suppleo: leg. agr. II 30, 83 Hispaniarum vectigal temporibus Sertorianis nullum fuit — post red. I 4, 9 duo vero nunquam, excepto illo Cinnano tempore fuisse — ibid. III 31, 81 propter iniquitatem Cinnani temporis — ibid. IV 9, 18 post Sullani Cinnanique temporis extremum discrimen — Fam. XIII

4, 1 Sullani temporis acerbitatem subterfugerunt — p. Mur. 24, 49 distinguebant homines perculsi Sullani temporis acerbitate — post red. III 30, 78 Sullani temporis arma — cf. Verr. II a. I 16,43 illud tempus Sullanarum proscriptionum ac rapinarum — Att. X 8, 7 dirus ille dies Sullanus — i. e. dies, quo Marius Roma effugere a Sulla coactus est. — Fam. X 16, 2 Clodiana tempora — post red. IV 1, 2 cum illius Pisoniani temporis Gabinianique terroribus — p. Sest. 59, 124 equidem existimo nullum tempus, quam illud gladiatorium.

Huc non referas, sed conferas modo exempla alio iam loco inserta:

Fam. IX 6, 4 equidem hos tuos dies Tusculanenses cet. — Brut. 10, 40 tempora Troica — Divin. I 1, 1 vetus opinio ab heroicis ducta temporibus.

Transgredior ad eas structuras, quae personam aliquam personae alterius esse indicant.

Id quod Wichertius de hoc usu docuit[1]), aliqua ex parte immutatum volo. Quod enim addidit exempla huiusmodi poetico dicendi generi esse tribunda, id mihi quidem non probatur, cum structuras, quales sunt: regii pueri — inimici paterni — legatus quaestorius — alias a poetis assumptas esse omnino non intellegam. — Verr. I 21, 56 legatus quaestorius — ibid. 51, 135; Fam. II 18, 3 plur. — = quaestor habet legatum — In Vat. 17, 40 Clodianae operae — p. Sest. 39, 85 exercitus Clodianus — ibid. 37, 79 manus Clodiana — p. Cael. 28, 66 mulieraria manus — Verr. V 28, 71 milites Sertoriani — p. leg. Man. 8, 21 duces S. — p. Deiot. 15, 41 legati regii – Verr. IV 46, 103 praefectus regius — p. Planc. 24, 59 regii pueri — Tusc. V 20, 58 reg. virgines — cf. Verr. IV 27, 61 regis Antiochi filios pueros — In Caecil. 20, 67. Verr. I a 9, 25; p. Rosc. Am. 4, 15 paterni amici — Verr. V 52, 136; p. Mur. 17, 56; p. Flacc. 6, 14 paternus amicus — p. Flacc. 32, 77 inimicus paternus — p. Mur. 27, 56 paterni necessarii — Att. I 19, 4 Sullani homines — Brut. 34, 128 Gracchani iudices — p. Sest. 30, 66 popularis sacerdos — Phil. II 30, 75 lar familiaris — Verr. I 51, 135 praetoria turba — Inv. 31, 51 apud Socraticum Aeschynem — Fam IX 26, 2 Aristippus ille Socraticus — Tusc. II 22, 52 Anaxarchus Democritius — ibid. 26, 62 Socraticum Xenophontem — Deor. nat. III 31 77 di poetici.

---

1) pag. 20, § 21.

Fieri non potest, quin aliquid proferam, quod iam W. quamvis breviter attigit, cum hoc statueret[1]): „Beispiele wie filius sororius, nepos fraternus (sc. sororis, fratris) scheinen sich gar nicht zu finden.“ Attamen cum adiectiva, quae sunt: sororius, fraternus, maternus cet. saepe sint usurpati, iure quaesiverit quispiam, qua de causa tales constructiones consulto a scriptoribus evitentur, ita ut genetivus duplex praeferatur, quo Cicero quidem semper utitur:

de Or. III 18, 67 Speusippus Platonis sororis filius — Brut. 28, 108 G. Cato Africani sororis filius — p. Flacc. 36, 89 Lucronis sororis filius — p. Cluent. 60, 165 illius sororis filius. —

Cogitanti mihi duplex causa est visa, qua adducti scriptores latini illam structuram non adhibuerint, quarum alteram W. ipse quamvis imprudens attulit, cum adnotaret: Stellen wie Macedo Deucalionis maternus nepos Solin. 9, 10 (von mütterlicher Seite) gehören selbstverständlich nicht hierher. Ex hoc enim exemplo apparet nomina adiectiva huiusmodi cum genetivo possessivo apposito non, ut ita dicam, vim et munus genetivi suscipere, sed genus significare; maternus nepos non est nepos matris, sed qui per matrem nepos alicuius factus est, ita ut structura „maternus nepos“ unam tantum notionem efficiat. Item geminus genetivus possessivus exstat aliis locis, quibus non agitur de personis, sed rebus, quae sint in aliena possessione: p. Flacc. 18, 43 „cuius fratris bona“ quae frater illo ipso tempore possidebat — „cuius fraterna bona“ esset interpretandum: bona, quae a fratre accepta possidebat.

Altera causa, si quid video, petenda est a verborum constructione, quae reperitur: p. Planc. 11, 27 „hic illius frater patruelis et socer T. Torquatus“; frater patruelis non est frater patrui, sed qui per patruum frater est, in nostra lingua „Vetter“. In structura superiore „mat. nepos“ notio vocabuli, quod est nepos, non mutatur, in hac vero aliquid, ut ita dicam, de notione vocabuli „frater“ deteritur.

Deinceps inde pergam ad ea adiectiva, quae rem aliquam notant. Exempla perpauca ex libris Cic. proferre possum eaque tantum eiusmodi, ut substantivum quoque rem aliquam designet. de Or. I 14, 40 regiones terrestres — maritimae — p. leg. Man. 12, 33 ostium Tibernum — Fam. V 25, 1 ora maritima — Deor.

---

1) W. l. l. § 22 s. f.

nat. II 9, 24 igneus motus — ignea celeritas — ibid. 15, 41 corporeus ignis — ibid. III 14, 35 ignea vis — Divinat. II 44, 93 vis caelestis — ibid. II 14, 34 marini aestus; quae constructio etiam hac ratione explanari potest: mare aestuat. — Catil. II 1, 1 intra domesticos parietes — p. Deiot. 2, 5; Phil. XII 10, 24 domestici parietes. —

§ 10. Adiectivum notat personam vel rem, quae est causa vel potius auctor alicuius status vel rei faciundae.

Adiectivum personam significat. —

post red. II 2, 5 divina munera = dii dant munera — Verr. IV 28, 65 regium munus — Fam. VI 19, 2 munera regia — Verr. Ia 1, 1 humanum consilium — ibid. IIa I 2, 4 senatorium consilium — ibid. 5, 13 consilia senatoria = homines — senatores consilium dant — capiunt — Fam. XV 11, 2 beneficia paterna — p. Cluent. 37, 103 impetus tribunicius — prov. cons. 17, 41 populares impetus populari praesidio propulsare = populus impetum facit — praesidium praebet.

ibid. 4, 6 Mithridatici imp. — p. Sest. 7, 16 fraterna flagitia = frater flagitia committit — facit. — Att. VII 13a 1 facinus civile — p. Sest. 38, 82 facinus Clodianum — ibid 31, 68 scelus Clodianum — p. Rab. Post 9, 25 famam libidini regiae commisisse Verr. III 69, 162 ex paternis probis ac vitiis emergere — Top. 20, 77 opera divina — Quint. fr. I 1, 26 vectigal aedilicium = aedilis v. imponit — Fam. VII 26, 2 coena auguralis — Verr. V 13, 31; 31, 81 convivia muliebria — p. Planc. 4, 10 comitia aedilicia — p. Sest. 43, 94 seditio Clodiana — Att. XII 44, 4 naufragium Caninianum — Deor. nat. I 38, 107 hoc Orphicum carmen.

Perpauca exstant exempla, in quibus adiectivum rem aliquam signat:

de Or. III 37, 151 naturalis sensus — ibid. 29, 115 nat. nota — natura dat sensum — n. imprimit notam — Verr. IV 58, 129 terrestre domicilium — ibid. V 34, 87 terr. praesidium = terra praebet domicilium — praesidium — Att. I 18, 1 splendor forensis — Inv. I 26, 39 alicuius annui, menstrui, diurni, nocturnive spatii = annus, mensis, dies nox spatium temporis efficiunt, cf. pag. 4.

In illo exemplo, quod iam supra (pag. 5) protuli: Inv. I 34, 59 „annuae commutationes non modo quadam ex necessitudine semper eodem modo fiunt“ cet. annus non tam causa vel auctor

commutationum cogitandus est, quam tempus, per quod commutationes fiunt; structura autem verborum, quae sequitur „et diurnae nocturnaeque vicissitudines“ et praepositione adhibito et verbo altero inducto explanari potest = vicissitudines inter diem noctemque vel vicissitudines, quas dies noctesque sese excipientes efficiunt.

Nomen substantivum animi commutationem notans rationem quasi traducit et convertit ad illam, qua adiectivum positum est pro genetivo obiectivo, qui multis locis nulla difficultate supponi potest.[1])

p. Cluent. 28, 77 ut ex invidia senatoria possit crescere[2]) — Brut. 14, 54 qui post decemviralem invidiam plebem in patres incitatam legibus mitigaret = senatus, decemviri invidiae fuerunt, invidiam conflaverunt. Verr. Ia. 10, 28 non solum auctoritate deterrere, sed etiam consulari metu (durch die Furcht, die du ihnen als Consul einflössen musstest.) Fam. II 17, 1 sublato metu Parthico — Quint. fr. III 9 domesticus timor — ibid. domestica cura te levatum volo (cf. pag. 13 sq.) — timor, cura de domo, sed in priore exemplo etiam haec explicatio ferenda est: domus timorem facit — Fam II 7, 4 te rogo, ne patiare quidquam mihi ad hanc provincialem molestiam temporis — (cf. pag. 10 prov. molestiam affert. Att. VIII 5, 2 Pendeo animi exspectatione Corfiniensi. Corfinium i. e. res Corfinienses exspectationem meam commovent.

Sequantur structurae eiusmodi:

Fin. I, 1, 3 nam ut Terentianus Chremes non inhumanus = Chremes, qualem Terentius descripsit — p. Caec. 10, 27 nec minus confidens, quam ille Terentianus Phormio — Tusc. III 26, 62 hinc ille Agamemno Homericus et idem Accianus — In Pis. 20, 47 non tragico illo Oreste et Athamante = Orestes et Athamas, quales tragici finxerunt. p. Rosc. Am. 16, 46 senex ille Caecilianus — ibid. 47 utrum hunc ego comicum adolescentem, an aliquem ex agro Veiente nominem.

Alia exempla, quae ad hanc rationem pertinent, iam W., qui hoc structurae genus in Ciceronis libris copiose persecutus est,

1) Wich. pag. 32 sqq.

2) Cf. Hofmann. Ausgewählte Briefe von M. Tullius Cicero. Fam. XVI 12, 3 pag. 183.

quam plurima conquisivit, summamque sagacitatem ostendit, cum adnotaret: „Ciceronem genetivum nominis substantivi fere anteponere, si de aliquo universo opere, non de singulis personis in opere descriptis verba faciat.“ Ad contrariam vero Wichertii sententiae opinionem adductus sum de ea re, quam ille his verbis pronuntiavit [1]): „Indessen ist es wohl klar, dass solche Adverbialbestimmungen, wenn auch an das Nomen oder Pronomen sich anlehnend, doch nicht ohne eine gewisse Beziehung zum Verbo (ait, dicit) aufgefasst werden können, und schwerlich finden sich Beispiele, wie: Neoptolemus apud Ennium multis postea exemplo fuit, wo eine solche Beziehung zwischen jenem Adverb und dem Praedicat nicht stattfände, vielmehr jenes lediglich als Bestimmung des Eigennamens diente.“

Exempla tam vehementer secum pugnantia W. ea de causa composuisse videtur, quod ipse verbis suis diffisus est. Neque ipse ullum exemplum, quale supra allatum est, usquam repperi, sed aliud ex scriptis Ciceronianis proferam, quod certe medium quendam locum obtinet:

de Or. III 15, 57 „neque disiuncti doctores, sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi, ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum“; — hoc enim enuntiatum ita supplendum est: ille apud Homerum Phoenix erat vivendi praeceptor atque dicendi.

At hic forsitan quispiam dixerit Ciceronem non scripsisse: „Phoenix ille apud Homerum“ et illa collocatione verborum (quae propria Graecorum est) structuram „apud Homerum“ naturam adiectivi attributi sibi vindicare, ita ut nihil intersit, utrum scriptum sit: „ille apud Homerum Phoenix“ an „Homericus Phoenix“, quod negare velle stulti esset, cum alias multae structurae eiusmodi exstent, ut est: omnes circa urbes. — Nolo diiudicare, num Cicero collocationem et constructionem illam Graecam adiectivo usitatissimo praeferat, hoc tamen quilibet mihi concedet scriptorem ipsum vocabula „apud Homerum“ ad substantivum „Phoenix“ relata velle, cum non scripserit „Phoenix ille apud Homerum“; tum vero etiam cavendum est, ne pronomen „ille“ ea tantum de causa adiunctum esse putemus, ut structura „apud Homerum“ in medio includatur, quoniam supra legimus: ille Agamemno Homericus — tragicus ille Orestes.

[1]) pag. 37 § 40.

Jam transeo ad id genus assimulationis, quo adiectiva personas vel res notantia coniunguntur cum substantivis, quae multitudinem aliquam exprimunt, ut sunt: copia, manus, familia, ordo, collegium, numerus, alia.

Adiectivum personam denotat.

p. Cael. 11, 26 sodalitas pastoricia et agrestis. — Cf. hunc locum a W. prolatum: Val. Max. II 2, 9 turba pastoralis — = pastores sodalitatem, turbam efficiunt — Verr. Ia. 13, 39 equester ordo — et alias sescenties; ibid. 39 senatorius ordo — Verr. II 32, 79 decuria senatoria. Inv. I 24, 35 eae autem partim divino, partim mortali in genere versantur; et paulo post legitur: mortalium autem pars in hominum, pars in bestiarum genere versatur [1]). Off. I 7, 21; III 12, 52 humana societas = homines societatem ineunt — Legg. I 24, 62; de Or. II 16, 68; Rep. 32, 49 civilis societas — p. Mil. 10, 28 muliebri ac delicato ancillarum puerorumque comitatu — (mulieres efficiunt comitatum vel simplicius: mulieres comitantur cfr. pag. 22). — Deor. nat. II 31, 78 civilis conciliatio et societas. Cf. Phil. XIII 1, 1, eumque ex numero hominum eiiciendum, ex finibus humanae naturae exterminandum puto.

Quamvis per analogiam secundum structuram „mortale — humanum genus“ talis formari posse videatur: „humanus numerus“, tamen Ciceronem (Phil. XIII 1, 1) prudentem ac consulto eam evitasse et „numerus hominum“ scripsisse arbitror; nec aliud exemplum satis firmum inveni, quo illa structura niti possit. Constructionem enim, quae exstat Verr. V 58, 153 „ex illo Sertoriano numero militum“ genetivus „militum“ impedit ne ad hanc rationem accommodemus. (In hoc exemplo etiam figura quaedam, quam Graeci „μεταλλαγήν“ nominant, inesse potest; pro „numerus Sertorianorum militum.“)

Alium vero locum (Phil. II 6, 13 qui duo de consulari numero reliqui sunt“) quattuor deteriores tantum codices exhibent, cum Vaticanus tradat: „de consularium numero“, quam lectionem Orellius probavit. Neque equidem habeo, cur hanc scripturam addubitem, quoniam viri doctissimi illum codicem primarium esse adhuc consenserunt. Quare Ciceronem, quod ego sciam, nomen

[1]) Substantivum „genus“ hic non est idem, atque illud, de quo pag. 15 sq. agitur.

substantivum „numerus" cum adiectivo non nisi addito genetivo coniunxisse coniecerim.

p. Sest. 53, 113 collegium tribunicium — Verr. IV 49 108 collegium decemvirale — Catil. II 10, 23 scitote hoc in re publica seminarium (Catilinarium?) Catilinarum futurum.[1])

Adiectivo res aliqua significatur.

Verr. IV 46, 103 navalis copia (naves copiam efficiunt).

Eadem ratione optime explicari posse arbitror structuram, quae reperitur Devinat. Il 28, 60 „ita te nec lapideus aut sanguineus imber nec traiectio stellae terrebunt." Quamquam antea (§ 58) scriptum est: „sanguine pluisse senatui nuntiatum est" — nihil nos impedit, ne locum ita interpretemur: lapides, sanguis imbrem efficiunt vel potius: imbrem quasi efficiunt.

Sed haec quidem hactenus. Reliqua ad aliud tempus reservo.

---

[1]) Halmius in recensione orationum in Catilinam habitarum laudavit lectionem „Catilinarum", quae undecim codicibus nititur, siquidem Orellium auctorem sequimur, reliquis (cr. totidem) „Catilinarium" exhibentibus. — Videamus antea, quae sit sententia utriusque lectionis: „Seminarium Catilinarum" est explanandum: seminarium, ex quo viri, qualis fuit Catilina, in publicum prodibant „eine Pflanzstätte für Catilinas" — „seminarium Catilinarium" eine von Catilina (in seinem Sinne) angelegte Pflanzschule, eine Pfl., aus der Sprösslinge nach seinem Sinne hervorgehen sollen"; constructione posteriore sententia quasi delumbatur, quare illa prior mihi magis probatur.

VITA.

Natus sum die XXIX mensis Decembris a. h. s. L in vico mediae, quae dicitur, Silesiae, patre Guilelmo, matre Dorothea e gente Herzog, quibus adhuc viventibus gaudeo. Primis litterarum rudimentis in ludo publico, cuius magister etiam nunc pater meus est, imbutus tertio decimo aetatis anno gymnasium adii Olsnense, quod tum Silbero rectore florebat, quem virum semper memoria prosequar gratissima. Anno LXX in secundum ordinem progressus studiis derelictis arma gessi et signa nostra in Galliam secutus sum. Unde mense Martio insequentis anni in patriam reversus ad studia intermissa rursus me converti. Vere anni LXXIII maturitatis testimonium adeptus almam Universitatem litterarum Viadrinam Vratislaviensem petii. Scholis interfui philologicis, historicis, philosophis v.v. ill. Dilthey, Foerster, Hertz, Neumann, Partsch, Pfeiffer, Reifferscheid, Rossbach, Stenzler, Weinhold.

Stipendiis annuis primo semestri emeritis per octo semestria, cum in summis angustiis versarer, praeceptoris domestici munere in hac urbe functus sum. Inde a mense Aprili a. p. usque ad hunc diem in schola privata huius loci praeceptoris vicibus fungor.

THESES.

1. Cic. de Orat. I 28, 130 cum Orellio, Baitero, Kaysero, aliis legendum esse censeo: „Itaque ut ad hanc similitudinem huius histrionis oratoriam laudem dirigamus . . . . ; Bakii coniecturam „oratoris“ perperam contendentis „oratoriam laudem“ ne Latinum quidem esse, improbo.

2. ibid. III 6, 22 scribendum esse reor: „quod et ego hesterno die dixi“ pro „hesterna“ —

3. Eurip. Med. v. 837 sq. Tuendum esse censeo οἷον αἱρῇ“, quod libri exhibent, nec est, quod cum Elmsleio legamus: „οἷον αἴρει.“

4. Pseud. Xenoph. de republ. Ath. I 3 „χρησταὶ οὖσαι καὶ μὴ χρησταί,“ subditivum esse conicio.

5. ibid. I, 5 cum Sauppio legerim: ἔνι ἐνίοις τῶν ἀνθρώπων . . .“